



BRUNNEN

Sp. 31.



16

COMMENTATIO
DE
P H I L I P P A
REGINA SVECIAE, DANIAE ATQVE
NORVEGIAE
ANGLIAE PRINCIPE

QVAM
IN ACADEMIA GEORGIA AVGVSTA
CONSENSV AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS

P R A E S I D E
IOANNE PHILIPPO MURRAY
PHIL. PROF. ORDIN.

DISPV TATIONI PVBLICAE
PRO SVMMIS IN PHILOSOPHIA HONORIBVS
HABENDAE

SVBIECIT
PAVLVS ERICVS BOBERG
VPSALIA - SVECVS

DIE XXX NOVEMBRIS ANNO MDCCLXXIV.

GOETTINGAE
LITTERIS BARMEIERI.

Gp. 31.

COMMENTATIO

DE

PHILIPPA

REGINA SVECIAE, DANIAE ATQVE

NORVEGIAE

ANGLIAE PRINCIPIS

QVAE

IN ACADEMIA GEORGIA AVGVSTA

CONSENSV AMPLISSIMO HONORVM ORDINIS



IOANNE PHILIPPO MARRAY

THEOPH. DOCT. IN.

DISPUTATIONI PUBLICAE

PRO SVMMIS IN PHILOSOPHIA HONORIBVS

HABENDAE

AVBICIT

PAVLVS ERICVS BOBERG

VRSSALIA - SVEDVS

DIE XXX NOVEMBRIS ANNO MDCCLXXIV.

GOETTINGAE

LITTERIS HARMENIERT.





COMMENTATIO

DE

PHILIPPA

REGINA SVECIAE, DANIAE ATQVE NORVEGIAE

ANGLIAE PRINCIPE.

Nobilissima inter Reginarum nomina, si quod aliud, certe PHILIPPAE venit; ERICI POMERANI, Suecorum, Danorum, Norvegorumque Regis, uxoris, feminae eximiis plane decoribus conspicuae, eaque prudentia et virtute, ut et imperio summa laude praesuerit, et gentes bellicosissimas, diversis saepe studiis agitatas, in officio continuerit, et regni littora ab externo hoste magno animo tuita sit. Non obscuram igitur materiam mihi quis facile objiciet, cum de tantae Principis vita et rebus gestis curatius disserere mihi sumam. Tanto vero magis de annalium inopia et jejunitate, inter haec, mecum conquerentur, qui res patrias scrutari in deliciis suis habent; et ex illis, quae, monu-

A

men-

mentorū fide, adferam, conjecturam merito facient, multa scriptorū silentio premi. Sed utamur illis, quae ex locis dispersis colligere conceditur, quam commodissime possumus; et memoriam Reginae, suo aevo inclytissimae, temporum injuria oblitteratam, nostra qualicumque opera restituamus.

§. I.

Natales Philippae.

Princeps igitur quaestio cum de natalibus PHILIPPÆ oriatur, animadversio dignum, eas a diversis auctoribus ex *Portugallia* repetitas, et modo *Ioannis I*, modo *Eduardi* Regis filiam illam perhibitam legi, tametsi nihil omnino dubitationis habeat, eandem ex Regibus Angliae progenitam. Ista vero jam Cranzii *a*) fuit persuasio: quod in viro omnino miramur, qui Hamburgi vitam degit, et a Philippae aevo haud longe absuit *b*). Hujus autem procul dubio auctoritate idem a scriptoribus recentioribus, Valentino ab Eickstedt *c*), et Reusnero *d*), aliisque assertum. Eandemne vero, vel Lazii potius, secutus sit Texeira, scriptor Lusitanus *e*), definire non audeo. Occasionem tamen huic errori dedisse conjicimus, quod amita Philippae nostrae, ejusdem nominis, Ioanni Portugalliae Regi in matrimonium

a) *Wandaliae Lib. XI, p. 258.*

b) Jam enim ipso saec. XV floruit, mortuus vero 1517.

c) Cancellarius quondam Ducum Pomeraniae citerioris, den. a 1579, in *epitome Annalium Pomeraniae*, quam, cum codicibus saltem manuscriptis diutius delituisse, tandem edidit *Jac. Henr. Balthasar, Gryph. 1728. 4.*

d) in opere genealogico, p. 473. cf. notae *Erici Benzeli Diario Wadstenensi* adjectae p. 226.

e) in *arbore geneal. Regum Portug.* coll. *Duardi Nonii censura in Texeiram, Hisp. illustr. To. II, p. 1242, et Grammii notis in Meursii hist. Dan. p. 554.*

cesserit, et binae ex filiis, Petro et Joanne, neptes aviae nomen ser-
varint *f*), neutra vero desponsata viro.

Res potius expedita, Philippam HENRICI IV, Anglorum Re-
gis, filiam, ex primo connubio, aetate minorem fuisse, parenti, cum
adhuc *Derbyensis* modo *Comitis* titulum gereret, et regni potiundi nul-
la spes ipsi adfulgeret, natam. Matrem autem habuit MARIAM DE
BOHUN, *Humphredi*, *Herefordiae Comitis* filiam, ex qua, praeter Phi-
lippam, quatuor filios, filiamque *Blancam* tulit Henricus, quibus fere
singulis summa nominis celebritas contigit *g*). AVUS IOANNES fuit,
Eduardi III Regis filius natu tertius, *Dux Lancastriensis*, quem ex
prima uxore titulum traxit, familiae Regum, ex Andegaviensi stirpe
descendentis, et utraque fortuna clarissimae, fator; et Proavus ipse
ille, quem modo diximus, EDUARDUS III, rerum bello et pace ge-
starum gloria maximos inter Angliae Reges habendus.

Nomen suum Philippa ab origine procul dubio ex *Proavia* sua
PHILIPPA sortita fuit, Eduardi Regis uxore, ex Comitibus Hanno-
niae et Hollandiae progenita, femina bellica non minus virtute *h*),
quam reliquis animi dotibus, insigni, et diuturno connubio atque foe-
cundo beata *i*). Idemque nomen in memoriam tantae genitricis jam
a filiis, *Lionello*, *Clarenciae*, *Joanne*, *Lancastriae*, et *Thoma*, Glo-
cestriae

f) Imhofii *Regum Pariumque Ma-*
gnae Britanniae hist. geneal. Tab. VII,
p. 24. Sandford's geneal. history of the
Kings and Queens of Engl. p. 256. Geb-
hardi der Europ. Kaiser- und Königl.
Häuser histor. und gen. Erläut. 1Th.
32 Tab.

g) Sandford's *geneal. history, p. 275.*

h) *Hist. d'Angleterre par Rapin*
Thoyras To. III, p. 197. Hume's hist.
of Engl. Vol. II, p. 201.

i) Sandf. *gen. hist. p. 158, et 177, f.*

cessariae Ducibus, filiabus suis inditum *k*). Nepotem igitur Henricum, pari pietatis affectu, illud in filiarum aliqua adamasse probabile, tametsi simul forem, Portugalliae Reginam, eodem insignitam, respexerit.

De anno, quo in lucem edita, Philippa nil certi in annalibus proditum. Quodsi tamen ex natali *Henrici V l*), qui liberorum, matrimonio, aliquot annis, absque sobole ducto, natu maximus perhibetur, rationes conficiamus, in annum circiter MCCCXCI incidemus. Matre igitur vix trima orbata fuisset, anno quippe MCCCXCIV demortua.

Parens *Henricus*, mortuo, aliquot annis interjectis, focero, et ex eo Herefordiensis et Northamptoniensis comitatus heres, Ducis *Herefordiensis* titulo a *Richardo II* Rege ornatus fuit *m*). Sed cum, brevi post, perduellionis criminis reum accusasset Ducem Norfolciae, et, illo negante, certamine singulari secum congredi illum iussisset *Henricus*, eo interrupto, uterque in exilium actus est *n*). *Henricus* igitur in Franciam abiit, vindictam meditans. Defuncto deinde patre *Joanne o*), *Lancastriae* Ducis titulus illi a Rege quidem concessus; sed possessiones lautissimae, quod nimiam *Henrici* potentiam, et, opibus et familiarum illustrium affinitate, et populi favore nixam, pertimesceret *Richardus*, detentae *p*). Hac igitur nova injuria accepta, tanto pro-

k) *Imhofii Reg. Par. M. Br. hist. gen. Tab. VI et VII. Gebli. hist. und gen. Erl. I Th. 60, u. 61 Tab.*

l) quem scilicet ad annum 1388 referunt. Reliqui enim *Henrici IV* infantes hoc ordine, ex sententia *Imhofii*, nati: *Blancus*, *Thomas Dux Clarenciae*, *Joannes Dux Bedfordiae*, *Philippa*, *Humphredus Dux Glocestriae*, *Gebhardi*

vero *Philippae*, ante *Joannem Bedfordiae Ducem*, locum tribuit.

m) anno 1397. *Sands. gen. hist. p. 266.*

n) *Hist. d'Angl. par Rapin, To. III, p. 316. Hume's hist. of Engl. Vol. II, p. 264.*

o) 1399, 3 Febr.

p) *Hume's Hist. p. 266.*

pronius hominum, qui tyrannidis Richardum, nec indicta causa, accusarent, invitationi cessit, et in Angliam, Rege in Hibernia seditioni opprimendae occupato, trajecit *q*), in littore Eboracensi exscendens. Inde, copiarum vi suffultus, itinere primum versus Londinum facto, magnis ubique civium acclamationibus receptus, mox in exercitum, pro Richardo in provinciis occidentalibus coactum, arma movit. Qui, cum Regis adventu, ultra modum protracto, maximam partem dilaberetur, rebus suis diffidens Richardus, regno se abdicavit *r*). Henrico igitur, victori, et libertatis vindici, et ex agnatis proximo, imperium oblatum *s*), cum, ex calculis, superius ductis, octennis adhuc esset Philippa nostra.

§. II.

*Connubium Philippae cum Erico Pomerano, Sueciae, Daniae
atque Norvegiae Rege.*

Suecia, Dania, Norvegiaque, quam late patebant, tunc, vinculo arctiori unitae, a MARGARETA regebantur: quae, ut feminae dominium tanto aequiori animo ferrent cives, et ut amplissimo regno stabilitatem eo certiore conciliaret, ERICUM, Pomeraniae Principem, ex forore nepotem, imperii consortem sensim eligendum, et tandem, augusto ritu, inaugurandum curarat *t*).

q) 1399, mense Julii.
r) 28 Sept. *Rapin* p. 325. *Hume*
p. 269.

s) 30 Sept.

t) *Hist. de Danemarck par Mallet To.*
II, p. 328. *Gebh. Gesch. von Dänemark*,
I Th. p. 633, 637. f. *Dalins*
Svea Rikes Hist. II Del. p. 598. Res
valde dubia, quo numero, inter *Eri-*

Jam
cos, cum Sueciae, tum Daniae, tum
Norvegiae etiam Reges, censei debeat
Ericus Pomeranus. XIII communiter
inter *Sueciae Reges* agnoscunt, qui *E-*
ricum, Gustavi R. filium, XIV censent.
At hic mos, ex incerta nimium Regum
recensione, ultimo regnante Erico, in-
valuit. Ex Islandorum computatione
XII foret. Tutissime vero ab *Erico vi-*
A. 3, multoque post, ab *Florioso*,

Jam de felici, quod idem iniret, connubio sollicita, et illius et reipublicae interesse duxit, illam ex Anglia petere. Amicitiae enim foedus jam cum *Richardo* Rege initum u), Henrici ad regnum accessione nullo modo interruptum. Quin hunc ipsum, cum, anno MCCCXC, in Prussiam contendisset, in exercitu ordinis Teutonici adversus Lithuanos, idolorum cultui adhuc deditos, bellum facturus v), Margaretam, magni jam nominis Reginam, invisisse conjicimus.

Desponsata nuper *Blanca*, filiarum Henrici natu major, *Ludavico*, Ruperti, Electoris Palatini et Romanorum Regis, filio natu maximo w). De PHILIPPA igitur, annis inferiori, Erico in uxorem concilianda agi coepit: eaque procul dubio de causa, ut et ob communia regnorum negotia alia, *Petrus Lyckius*, Archidiaconus Roskildiensis, in Angliam legationem, jam anno MCCCCI, subiit x). Sed, eodem etiam tempore, de matrimonio Henrici, filii Regis Anglorum natu maximi, cum *Catharina*, Erici sorore, ineundo consilium initum. Procuratores igitur, ut ex litteris publicis, fidem rei gestae facientibus, cernimus, jam anno MCCCCII, mense Maji, a Rege constituti y), qui, nomine

cum

Storioso, *Olavi Skötkonung* parente, numerus ducitur, a quo *Ericus sanctus*, qui IX alioquin, *secundus*, et *Ericus* adeo *Pomeranus VI* foret. *Dalms Sv. R. hist. III D. p. 517.* et *Diff. de numero Ericorum Suec. Reg. praef. cel. Georgii, Ups. habita.* Inter *Daniae Reges VIII* statuere *Huitfeldius* atque *Pontanus*, X *Moursius*, vacillantibus rationibus ducti, Meliores ingressi *Malletus*, atque *Gebhardi*, filius, VII profitentur. In *Norvegiae Regibus III* eum habemus.

u) anno 1393. Legitur *documentum Richardi II*, 20 Apr. *expeditum*, inter

foedera R. Angl. Rymeri, To. VII, p. 744.

v) *Thomae Walsingham hist. Angl. inter script. Camdeni. p. 343 f.*

w) *vid. acta inter foedera Rymeri, To. VIII a. 1401, 9 Jan. 1 Mart. 2 Jul. 1 Aug. 1402, 4, 14, 19 Febr. 1, 31 Martii, 3, 13, 27 Apr.*

x) *Litterae Henrici IV*, quibus securitati illius prospectum fuit, datae, d. 3 Maji, 1401. *Rymeri foed. To. VIII, p. 192.*

y) 26 Maji. *Servantur litterae, inter acta Rym. To. VIII, p. 257 f. et 259.*

cum Henrici tum Philippae, omnia transigerent. Iidemque deinde, cum *Richardo*, Bangorensi Episcopo, ad Margaretam et Ericum ablegati, ut negotium integrum conficerent, et foedus amicitiae et mutui auxilii inirent *z*). In documento, quo legatis his copia agendi a Rege data, PHILIPPA annos pubertatis nondum attigisse expressè dicitur *a*): quae rationem nostram, superius de anno, quo nata sit, imitam, plane comprobant. Eam etiam ob causam, aliquot annis, ipsa solemnia dilata videri possent. Alia tamen praeterea impedimenta fortassis intervenerunt: ex quibus hoc maximum ducimus, quod a connubio *Henrici*, Walliae Principis, cum Catharina, sorore *Erici*, recessum fuerit. Nil quidem de causa, qua illud interruptum, observatum legimus. Non aliam tamen conjicio, quam quod jam ex filiabus *Caroli VI*, Franciae Regis, licet inimici, aliquam pro filio herede appetierit *Henricus b*). Mutatum vero hoc consilium aegre tulisse Margaretam et Ericum quis miraretur, et rem omnem aliquo tempore seposuisse? Inter haec ipse *Henricus*, connubiis liberorum prospiciens,

z) *Litteris Regiis, illis in universum concessis, 1402, 18 Jan. et Episcopo Bangorensi singulatim, 1403, 25 Jun. Foed. Rym. To. VIII, p. 265, et 287. Mirum dictu, in prioribus Reginam Daniae Isabellam nuncupatam, p. 266; eademque appellatione illam, alio documento anni 1406 offendi, p. 447. Quis crederet, incluyissimum Margaraetae nomen in Anglia fuisse ignoratum? Haud igitur facile, utriusque hallucinationis originem, publicis in litteris, Regia auctoritate datis, indicare. Verissima tamen Grammii animadversio in notis ad Meursii hist. Dan. p. 552 n. (c). Simili errore soror Erici, quam, Anglicis documentis aliisque optima fidei,*

Catharinam insignitam legimus, a Pontano, rer. Dan. hist. p. 546, et alioquin, Sophia prolata.

a) Rymeri foed. To. VIII p. 265.

b) Jam ab initio de Isabella, Caroli filia, Richardi II vidua, Henrico principi, cui aetate proxima, desponsanda cogitatum videtur. Cum vero res non procederet, eadem in Franciam remissa; et de connubio illius cum Catharina, Margaraetae ex sorore nepte, agi coeptum. Quo, quacunq; de causa, interrupto, mox a nuptiis Philippae, a. 1406, de filiarum Caroli VI aliqua pro Henrico lucranda negotium denuo susceptum, Rym. foed. p. 453.

ciens, viduitatem novennalem expertus, secundas nuptias cum *Joanna*, Caroli II, Navarrae Regis, filia, contraxerat *c*), primo matrimonio, *Joanni*, Britanniae minoris Duci, juncta, et, ab aliquot etiam annis, jam vidua.

Susceptum tamen denuo negotium de PHILIPPAE matrimonio, suadente fortassis *Lyckio*, quo interprete idem antea gestum fuit, et quem virtutis et decorum testem habuerat virgo Regia. Redierat certe, anno MCCCCV, nuperrime *d*) in Angliam *Lyckius*. Nec defuere, qui viro, ut rem omnem ex votis Henrici ad finem perduceret, reditus annuos, ad dies vitae, assignatos fuisset, sermones spargerent: adversus quos, litteris ipsius Regis *e*), se munire sui interesse statuit. Missus praeterea, eadem de causa, ex Dania, Episcopus Slesvicensis *f*), aliquanto, mea persuasione, post *Lyckium*, ut majus jam legationi decus conciliaret: primae enim illius partes ipsi delatae. Tandem eo omnia, media aestate anni MCCCCVI, promotae, ut ad transvehendam in Daniam, insigni pompa, Principem Regiam singula instruerentur. Decem in eam rem naves imperatae *g*), comitatusque, qui splendori faciundo par esset, selectus *h*).

Legat

c) *Sandf. gen. hist. p. 270.*

d) id quidem ex litteris Regis, quarum mox mentionem injiciemus, cognoscitur.

e) *Rym. foed. To. VIII, p. 425.* *Lyckio* in illis nomen *Hicke*, luculento errore, datum. Idem postea Episcopus Ripensis constitutus, annisque 1415 et 1416 Concilio Constantiensi interfuit. Tandem Archiepiscopi Lundenis dignitate eminuit. *Huitfelds Bispers Krö-nicke, p. 28 et 83.*

f) *Thomae Walsingham Typodigma Neustriae, p. 565.* Facile quippe per spectu, pro *Solviensi* Episcopo, Slesvicensem hic legendum esse. Praeerat autem tunc dioecesi Slesvicensi *Joannes Schonlessve. Huitf. Bisp. Krö-nicke p. 13.*

g) *litt. Reg. 1406, 22 Jun. Rym. foed. p. 443.*

h) *litt. Reg. 22 Jul. Rym. foed. p. 446.*

Legatis prioribus accessere adhuc, ex Suecia *Thuro Benedicti*, qui Regis nomine, Principem Regiam desponsandam sibi curaret, et bini Equites Danici *i)*. *Thuronem* ex antiqua *Bjelkorum* gente, auctoritatis domesticis commoti, statuere *Ericus Benzelius k)* atque *Dalinus l)*. Sueciae Marefchallum et summae dignitatis virum, externo etiam habitu, et facundissimum *Messenius m)* retulit. Addidit praeterea, eundem, ut personam sibi demandatam splendide satis sustineret, a *Margareta* vero sumptibus parceretur, magnum aë alienum contraxisse, cui solvendo nec ipse, nec heredes quidem, nisi longiori tempore, pares fuissent. Eundem *Thuronem*, *Stenonis* filium *Messenius*, in *Chronologia Sccondiana n)*, dixerat; sed errorem in analectis emendavit, Necessitudine tamen sibi juncti, et posterior quidem ex fratre *Thuronis* nostri progenitus fuit *o)*, illustribus aequè inter suos muneribus conspicuus.

Interea ab *Henrico Rege* constituti, qui, ipsius nomine, cum legatis *Margaretæ* et *Erici* rem omnem de dote *Philippæ*, et dotalitio vicissim a marito concedendo, componerent; foedusque amicitiae et mutui auxilii, aliaque, quae ad commercia civium ab utraque parte promovenda facerent, paciscerentur. Datum autem hoc negotium, litteris Regiis *p)* *Episcopo Bathoniensi*, ac *Richardo*, *Eduardi*, *Eboracensium Ducis*, fratri, binisque *Equitibus Anglicis*. Nil igitur dubito,

i) *Erici Olai hist. Suec. lib. V, p. 151.* Prior *Suetice Thuro Bengtson.*

k) in notis *Diario Wadstenensi adjectis p. 230*

l) *Suea Rikes hist. II Del. p. 611.*

m) in analectis. *Sccondiae illustr. To. XII, p. 218.*

n) *Sccond. ill. To. III, p. 40.*

o) ex *Diario Wadstenensi, p. 68.*

p) 26 *Julii datis, Rym. foed. To. VIII, p. 447.*

dubito, quin et Thuro Benedicti et bini Equites Danici, cum Episcopo Slesvicensi et Lyckio, actionibus, eam in rem institutis, interfuerint. Intercidit quidem documentum, ex quo de dote, filiae a patre definita, constaret, quale de Blanca, sorore illius natu majori, protulit Rymerus *q*), quo XI millia nobilium Anglicorum illi assignata. Egregie tamen et Philippae suae consuluisse Henricum, jam fama, aliqua ex parte, colligimus, quae omnium ore tunc percerebuit. Inrer haec mira de nummo aureo insignis plane magnitudinis tradita leguntur, quem secum in dotem attulerit *r*). Indefinite saltem Cranzius *s*) multorum millium eum aestimatum fuisse scripsit. Aliquot florenorum millibus eum valuisse, ex annalibus Suecorum, expresse magis retulit Huitfeldius *t*). Sed elatius multo Valentinus ab Eickstet *u*) centum millia aureorum eum aequasse, ex Chronicis Pommeraniae, posuit. Ad quae si animum advertamus, Grammio fere accedimus, qui iisdem fabulam repetitam pronuntiavit *v*), jam olim de *Eleonora* Lusitana, *Waldemaro* principi, *Waldemari* II filio heredi, in matrimonium concessa *w*), narratam. Aut omnia eo redeunt, quod, inter reliqua cimelia, nummum communiter usitatis longe praestantiorum *x*) secum adduxerit, in connubii fortassis decus, ex auro conflatum, de quo deinde portenta circumferri coeperunt. In dotalitium autem

q) *Foed. To. VIII, p. 179.*

r) *Andreas Hojers Dännemärkische Geschichte, p. 91. Eliæ Brenneri thesaurus numism. Sueo Goth. p. 28.*

s) *Wandaliae lib. XI, cap. 18, p. 258.*

t) *Dannemarkis Rigis Krönicke. p. 629.*

u) *Epitome annal. Pommeraniae, p.*

86. Eodem ore Micraelius im alten Pommerlande. III Buche, p. 393.

v) *in notis ad Meursii hist. Dan. p. 554.*

w) *Alphonsi II filia, despons. a. 1229, denat. 1231. Gebh. hist. gen. Erl. Tab. 31. Chron. Erici R. inter script. Dan. Langebeckii, To. I, p. 166.*

x) *Ea quidem ratione Dalinius rem expedit.*

autem sponsae Principi arx *Naesbyensis* y), quam Naesgaordiam in Dalecarlia, Sueciae provincia, conjicio, cum terra adjacente, praedia aliqua in *Fionia*, Daniae insula, et *Romerigia*, Norvegiae regio, satis ampla, promissa, et confirmata z). Generum ordine Periscelidis ornavit Henricus a).

§. III.

Transfretatio in Daniam, et nuptiarum solemnia.

His rebus transfretatio Reginae aliquantum protracta, ut, circa finem demum aestatis b), suscepta videatur. A patre matreque, Regio apparatu, ad *Lennam* urbem c), quae, in oris borealibus Norfolciae sita, ostiis Ousae adjacet, perducta, tandem in Daniam transvecta est. Inter reliquos, qui eam ex Anglia comitati sunt, praecipui *Episcopus Bathoniensis*, et *Richardus*, Ducis Eboracensis frater. *Henrico* vero *Norrejo* negotia alia in istis terris fuere demandata, quibus subeundis, litteris Regiis d), in dimidium annum, munitus fuit.

Advenientem in Daniam PHILIPPAM summa benevolentia exceperunt *Margareta* atque *Ericus*, et, quae honori illi cedere possent, omni studio contulerunt e). Florentissima tunc aetate cum Ericus

tun

y) *Tunelds Geographie öfwer Sveriges Rike*, p. 126. *Büschings Erdbeschr.* I Th. p. 481.

z) Haec vero talia Dotalitium Reginae constituille, jam lautiori a Rege marito, anno 1420, concessio, ipsamet, documento, apud *Huitfeldium*, Danem. *Rig. Krön.* p. 679, obvivo, professa est.

a) *Histoire des ordres militaires.* Amst. 1721, To. III, p. 369. *Dalins Sv. R. H.* p. 64.

b) *Thomae Walsingham Typodigm. Neustr.* p. 567.

c) Hodie *Lynn Regis* insignitur. *Büschings Erdbeschr.* II Th. p. 1289.

d) d. 3 Sept. scriptis. *Rym. foed. To. VIII*, p. 450.

e) *Erici Olai hist. Suec. Goth. lib. V*, p. 151.

tum Philippa constituti, illo, calculis a nobis positis, annum viciesimum quartum *f*), hac decimum sextum agente. Nuptiae, magno nobilium hominum, ad eas conscriptorum, confluxu, et, qua decuit, magnificentia, Lundini Scanorum, die XXV Octobris *g*), celebratae: solemnia vero reliqua, aliquot diebus, perdurarunt. Feminis virginibusque illustribus, quae familiam Reginae efficerent, praefecta *Catharina*, Jonae Hagtornefonii, Equitis Norvagici, vidua, neptis S. Birgittae, ex filia Mereta *h*). Proximo tamen jam anno ex vita decessit *i*). Nihilominus Dominae studium in monasterium Wadstenense, cui deinde plurima tribuit, primum excitasse illam probabile.

Episcopus Bathoniensis et *Richardus*, in Angliam reversi, sive quod aliqua illorum expectationi non respondissent, sive quod terrae boreales a cultu Angliae adhuc abessent, sive quod sua saltem magni facerent, peregrina aspernantes, parum vel nihil boni de regionibus, quas adierant, retulerunt *k*). Qui autem in eodem comitatu fuerat *Henricus Fitzluger de Rawenswather*, peractis nuptiarum Regiarum solemnibus, Wadstenam tendit *l*), loci celebritate allectus, qua tanta, a novo ordine monastico, ibi a Birgitta *m*) instituto, et ab hac ipsa sepul-

f) natus nimirum anno 1382, afferente *Grammio*, in notis ad *Meursii h. Dan.* p. 543, n. (b).

g) "in crastino Crispini" ex *chron. Anonymi*, inter *Danica Pet. de Ludwig n. V.* p. 120, allata a *Gramm.* ad *Meursii h. Dan.* p. 553. "circa festum omnium Sanctorum" ex *Erici Olai hist. Suec.* p. 151.

h) *Messenii Scandia illustr.* To. III, p. 40.

i) ex *Diario Wadstenensi*, p. 37.

k) *Thomae Walsingh. Topogm. Neustr.* p. 567.

l) ex *Diario Wadst.* p. 35.

m) Romam profecta, marito orbata, *Birgitta* a. 1346. Obiit ibidem, 1373, aetatis 70. Corpus Wadstenam translatum, 1374. Sanctis adscripta a *Gregorio XI*, 1377. ex *Diar. Wadst.* p. 1, f. Vitam exhibet *Jo. Vastovii vitis Aquilonia*, p. 91 f. Recenter in ea describenda verlatu sicut Prior monasterii *Maria-Alto-Münster* in Bavaria, *Jacob*

sepulchro ibi condita, paucis annis, florere coeperat, ut majori vix posset. Taliterque singula, ex sensu suo, ordinata deprehendit *Fitzhugerus*, ut, cum opibus abundaret, de monasterio, iisdem plane legibus, in Anglia, Regis sui permisso, exstruendo, consilium caperet. Scriptoque societati fidem dedit *n*), se fratribus ex Suecia in Angliam transmittendis, ut cuncta, ex institutis suis, componerent, facultatibus suis omnibus adfuturum, Ablegati etiam, proximis annis, aliqui, ut rem, ex votis *Fitzhugeri*, agerent *o*). Sed primus in itinere mortem obiit. Et qua ratione reliquis suscepta cefferint, memoriae mandatum non invenimus. Quae vero variis impedimentis eo tempore fortassis retardata, ea, paucis annis interjectis, Regiis auspiciis, effecta videmus.

§. IV.

Memorabilia, vivente adhuc Margareta.

Philippa adhuc in Anglia commorante, jam de *Catharina*, sorore *Erici*, *Joanni Palatino*, *Ruperti Electoris* et *Romanorum Regis* filio natu minori, in matrimonium collocanda rem compositam necesse est. Eademque *Blancae* studiis maxime promotam probabile. Etenim, jam anno *MCCCCVI*, pactum, solemnique ratione, initum *p*). Ipsae vero nuptiae, anno demum *MCCCCX*, factae *q*).

Ami-

cob Scheckh. im Leben der heil. Brigitta. Augsb. 1749. 8.

n) *Dom. i Adventus. 1406.* Addit illud, ex bibl. Upsalienti, *Diario Wadstenensi Benzelius, p. 104. f.* et ex illo *L. B. de Nettelbla der Nachricht von einigen Klöstern der H. Schwedischen Birgitte, p. 101. f.*

o) ex *Diar. Wadst. p. 37, 38.*

p) Servatum adhuc documentum in tabulariis Regiis Danicis, teste *Gramm. in notis ad Meursii h. D. p. 555, n(a).*

q) *Gramm. in not. ad Meurs. list. Dan. p. 556, n(b). Gebh. Gesch. von Dän. I Th. p. 643.* XL millia Florenorum Rhenenium marito in dotem allata.

B 3

Amicitiae vinculum' *Margaretam* et *Ericum* inter et *Henricum* Angliae Regem, filiae matrimonio denuo sancitum, mox anno MCCCCVII, cum Magistro Ordinis Teutonici in Prussia pacem contulit *r*), qua variis offensis, de quibus cives, istis in oris mercaturam facientes, querelas instituerant, medela allata, et commerciorum libertati consultum fuit.

Ipsa *PHILIPPA* Regina, primis annis, in Suecia potissimum commorata videtur, ut ibi rebus prospiceret, et divinciendis hominibus, *Margaretæ* et *Erici* imperio minus faventibus, comitate sua atque prudentia, studeret. Igitur, cum, mortuo Archiepiscopo Upsaliensi *Henrico*, *Andreas*, ecclesiae cathedralis Praepositus, a canonicorum collegio electus esset, et *Margareta* atque *Ericus* sui valde interesse crederent, ut *Joannes Jerechini*, Danus, ad hanc dignitatem eveheretur *s*), *Philippae* persuasionibus praecipue evenisse volunt *t*), ut ipsemet *Andreas* eminentiori munere se abdiceret, et dioecesim *Strengnesiensem* eligeret. In hoc tamen nimium necessitudini tribuisse Reginam, juvenili adhuc aetate constitutam, non diffitemur. Nec mediocres inde enatae turbae. Talemque se gessit *Joannes*, ut de illo ab officio removendo ad *Martinum V*, Pontificem Romanum, ipse deserret *Ericus*; et ille, flagitiorum sibimet conscius primum in Daniam, et ulterius in Islandiam profugeret, ubi ab indigenis suppli-

r) Litterae *Henrici R.* legatis suis, *Wilhelmo Esturmy*, Militi, et Magistro *Joanni Kyngton* Canonico Lincolnensi, hanc in rem concessae, leguntur inter *Rym. foed. To. VIII*, p. 492, f.

s) a. 1409. *Messen, Scand. illustr. To. II*, p. 41, f. *Dalins Sv. R. Hist. II D.* p. 612.

t) *Rhyzelii Swea-Göthisk Sticht och Biskops Chronika*, p. 43, et 214. *Dalins* p. 613.

cio affectus fuit *u*). *Andraeae* vero isti Strengnesiensium praesuli, quod Reginae tantum dedisset, cognomen *Smekv*) inditum, quo Regem *Magnum II*, *Erici* filium, jam olim affecerant cives: quod alii a blanditiis, quibus irretiri se a Waldemaro Daniae Rege passus est, derivant, alii a diminuto regno *w*), integris quippe provinciis eidem traditis; ac, utroque pariter sensu, *Andraeae* tribui potuit.

Meliori ratione *Philippa* de republica promerita, cum arcium, vel a ruina servandarum, vel exstruendarum curam gessit *x*). Etenim ad haec jam tempora a perspicacissimo *Benzelio y*) relata videntur, quae Episcopo et Canonicis Lincopiensibus de subsidiis, ad arcem Nycopiensem conferendis, a Regina imperata fuere. Sed minus in eo faciles illos habuit. Et Canonici quidem, litteris ad Episcopum datis, sententiam illius efflagitantes, conquesti sunt, colonis, si ad istud opus faciendum adigerentur, quod jumenta gravibus vecturis consumeret, isto anno nec sementem nec messem futuram. Re autem ipsa immunitatibus suis eo detrahi crediderunt, si huius generis servitia, vel quaecunque alia, sibi imponi paterentur. Inter haec tamen et patriae libertati, a locis taliter munitis, eos timuisse censemus. Sed haec *Philippae* providis curis nil derogant.

Margareta interea atque *Ericus*, in hoc maxime occupati, ut Ducatum Slesvicensem, qui, extincta Ducum, a Regibus Daniae descendentium, stirpe, *Gerhardo*, Comiti Holfatiae, ex Schaumburgicis orto, traditus fuerat, clientelae inde Regum Daniae obstricto,

regno

u) *Mess. Scand. ill. To. III, p. 55.*

w) *ill. Thrii Gloss. Sueo-Goth. p. 673.*

v) *Rhyz. Sticht och Bisk. Chron. p.*

x) *Dalins Sv. R. H. p. 621.*

13, et 214.

y) *Monum. historica vetera ecclesiae Sueo Gothicae, p. 156.*

regno vindicarent z). Id quod, filiis adhuc in prima infantia constitutis, atque diffidiis, inter *Elisabetam a)*, Gebhardi viduam, et mariti fratrem, Henricum, Episcopum Osnabrugensem, exortis, haud difficulter se obtenturos sibi persuaserunt. Et parum absuit, quominus, suasionibus suis, Margareta votorum compos facta fuisset. Sed exinde, sopitis inimicitiiis, Elisabeta atque Henricus communibus consiliis rem egerunt. Cum igitur armis eam tentasset Ericus, adversam in eos fortunam expertus est, opibus licet longe praestantior. Ex eo vero bellum primum exarist, quod triginta fere annis perduravit, et, principum civitatumque in vicinia auxiliis, ab utraque parte gestum fuit, atque in ipsius Erici maxime perniciem cessit.

Margareta quidem, qua erat perpicacia, componendis his controversiis plurimum studii tribuit; et jam eo rem, anno MCCCXCII, perduxerat, ut, pactione Flensburgi *b)* inita, in aliqua jam concederent Holsati, reliqua hominum, ab utraque parte constituendorum examini committerent. Sed, paucis diebus interjectis, ipsa, navi jam ascensa, qua in Daniam tenderet, morbo affecta, obiit *c)*.

Iisdem temporibus, in Norvegiae oris, inter mercatores Anglos, eo navigantes, aliosque, ex civitatibus Hanseaticis, societate inita, ibi

z) *Hist. de Danem. par Mallet. To. II. p. 359. f. Gebh. Gesch. v. Dän. I Th. p. 643. f.*

a) *Magni Torquati Ducis Brunsv. Lüneb. filia. Elisabetae illa nomine apud auctores Holsaticos ubique venit. Hojers Dänem. Gesch. p. 80. Huebnerus, aliis praecedentibus, Catharinam dixit. Geneal. Tab. 213. Sophiae illi*

nomen tribuit ab Erath in *Conspectu hist. Br. Lüneb. Tab. X.* Sed *Elisabetae*, optimo jure, reliquis praetulit *Kochius*, in *Versuch einer pragmatischen Gesch. des durchl. Hauses Braunschw. Lüneb. p. 215.* Undenam tanta iterum in celeberrimae Principis appellatione discrepantia?

b) d. 4 Octob.

c) d. 28 Octob.

ibi viventes, maximae rixae exortae d): cum illi commerciorum oportunitates omnes in se derivare satagerent; hi, quae studia avita sibi vindicassent, strenue tuerentur. Et majori quidem in hoc animi fiducia egisse videntur Angli, quod *Philippae* Reginae, a civibus suis magna observantia cultae, gratia salvos se duxerint. At, *Hansae* Teutonicae adscripti, caedibus, damna sibi allata uli sunt. Tandem, *Henrici*, Anglorum Regis, interpositione e), lis omnis, hac vice, diremta; et mercatoribus Anglis, fociatorum nomine, quaevis officii genera sancta, quae ipsi vicissim in Anglia experirentur.

§. V.

Annis, ab obitu Margaretæ proximis, sub Erico Rege, gesta.

Defuncta *Margareta*, *Ericus* tribus orbis arctoi regnis unus praefuit. *Philippa* vero Regina, pro ea, quam satis probatam jam dederat, animi virtute, et in rebus agendis dexteritate, consiliorum in permultis particeps fuit. Suntque, qui et in aliis propitiori forte fruiturum fuisse *Ericum* asserere non dubitarunt f), si illam audivisset.

Jam, primo anno, quo haec rerum facies sub septemtrione enata, patre etiam suo *Henrico* g) orbata fuit *Philippa*, cui tredecim saltem annis imperio frui contigit, quod satis turbulentum, ut ipsius conditio non aliter ferebat, prudenter et fortiter gessit, *Richardi* tamen nece

d) *Gebh. Gesch. von Dännem. I Th. p. 258.*

e) *Litterae Regiae exhibentur inter Rym. foed. Tom. VIII, p. 736.*

f) *Dalins Svea R. Hist. p. 621. Bo-*

tins Utkast til Svenska Folkets Historia, p. 441, et 444 f. Gebh. Gesch. von Dänem. u. Norw., p. 255, et 663, 664.

g) 1413, 20 Martii, *Hume's Vol. II, p. 296.*

nec nota affectum. Successit eidem filius *Henricus V*, qui adolescentiae vitia plurimis virtutibus emendavit; et, Eduardi proavi in Franciam jura denuo urgens, intestinis in illo regno diffidiis, ea felicitate, in rem suam uti novit, ut *Carolo* Regi, ob *Catharinam* filiam sibi collocatam, jam focero, succedendi spes ipsi adfulgeret *h*). Talique fratre dignissima *Philippa*.

In Suecia, ea tempestate, legibus diversa ordinata leguntur, quibus communi utilitati et posteris egregie consultum fuit. Quae, si ab *Erico* profecta sint, *Philippae* certe magna ex parte tribuere non haesito; eoque magis, cum maritus bello cum *Holsatiae* Comitibus restaurando fere unice intentus esset. Huius generis praedicamus hospitia publicis in viis mandata, ut iter facientibus diverforio essent; hortorum, et lupuli, ad cerevisiam parandam necessarii, cultura frequentior; sepium, quibus et horti et agri custodirentur, cura; mensurae ponderisque justa in mercibus observatio; immunitatum, molis nobilium concessarum, a laesione tutamen; mercaturae certa genera urbibus vindicata; arborum frugiferarum securitas; silvarum, communium licet, restrictus ad vitae necessitates usus *i*). Haec enim omnia ita comparata, ut exempla, ex terris majori studio cultis, et *Anglia* praesertim, petita non immerito censeantur.

Scaniae, quae tunc provinciis *Danicis* adscribebatur, in oris, ex vico simplici, urbs, commercii valde opportuna, extrui coepit, cui inde pulcherrimum nomen *Landscronae* inditum. *Havnia* vero, ex adverso sita, et majoribus adhuc commodis praedita, sed *Episcopis*

h) *Hume's Hist.* p. 315.

i) *Dalins Sv. R. Hist.* II Del. p. 624, f.

pis Selandiae subjecta, qui ibi sedem constituerant, compensatione vicissim illis facta, in Regis potestatem traducta, sub qua opibus brevi valde crevit *k*). Quibus si reliquum Erici regimen respondisset, successu suo non caruisset.

Sed, cum Slesvicensis Ducatus sibi vindicandi appetentissimus esset Rex, et a pactione inita recederet, et ne quidem *Henrico* Principi supplicii illum largiri vellet, bello implicitus, infaultis fere omnibus ab illius parte gesto. In hoc virtute *Henrici*, Anglorum Regis, haud parum animatum mihi persuadeo, aemuloque studio, sed impari, actum. Auxilia etiam ab adfines petiit *l*), nimium vero eo tempore propriis moliminibus occupato.

Inter haec tamen et litterarum aliqua cura habita: et a *Martino V*, Pontifice Romano, in quem, Concilii Constantiensis decreto, jam omnia collata fuere, Erici Regis rogatu, universitatis litterariae, commodissimo regni loco, exemplo Parisinae et Bononiensis, condendae, venia, pro illorum temporum ratione, concessa *m*), nisi quod Theologiam exceperit, quam in Italia hauriendam statuit. Sed cum res in pacatiora tempora semel differri coepisset, diutius sopita jacuit; et *Christiani I* Regis demum auspiciis, Havniae, et *Stenonis Sture*, senioris, Upsaliae, Academiae instructae. Erico tamen vel ipsi conatus do-

k) a. 1413 et 1416. *Gebh. Gesch. v. Dän. p. 664.*

l) a. 1417. *Rym. foed. To. IX, p. 342. Gebh. Gesch. v. Dän. p. 651.*

m) Diploma Pontificis, datum Florentiae an. 1418. VII Cal. Junii, integrum legitur apud *Huitfeldium, Dan. Rig. Krönicke, p. 674.* et *Pontannum, rer. Dan. hist. p. 561, f.*

Strinae laudem attulerunt *n*): amoris certe in litteras argumentum in eo esse possunt.

Philippae, his annis, in coetum suum studia Wadsthenensium memoriae insigniter praedicant. Iisdem vero optimam Principem, pro istius aevi persuasione, ipsi religioni prodesse voluisse, suumque in illam affectum testari, nequiquam dubitamus. Ita quidem, aequae Sororis carissimae intercessione, ac Fitzhugeri contentione, *Henricum*, Regem Angliae, commotum dixeris, ut *Syonae*, in Saxoniae mediae provincia, coenobium exstruendum curarit, institutis divae Birgittae, quae ab ipso Servatore tradita contendit, plane accommodatum *o*). Illiusque desiderio, jussu Erici atque Philippae, ex Suecia, in illud virgines sacrae transmissae *p*); ut, eadem ratione, ex Wadsthenensi monasterio, Syonense ortum quasi repeteret, qua *Mariendalense* prope Revaliam, *Marienwoldense* prope Lubecam, et *Marienboense* in Lalandia, eodem ritu jam instructa, et plura alia, sequenti tempore. Ipsa Philippa, *Margaretae* *q*) exemplo, sodalium Wadsthenensium numero adscribi voluit *r*). Cumque in confirmanda novi ordinis formula difficilius

n) *Micraeli altes Pommerl. p. 403. Gebh. Gesch. v. Dän. p. 650.* Annales quoque rerum Danicarum olim illi tribuerunt (*Meurf. h. Dan. ed. Lamii, p. 601*), quos, *Chronici Erici Regis* inscriptione, ex bibliotheca *Henrici Ranzovii*, edidit *Erpold. Lindenbroch.* at emendatioribus multo nuper *scriptoribus rerum Dan.* intulit *Jac. Langebeckius, To. I, p. 148. f.* Verum a Monacho potius ex monasterio Ryensi eisdem annales congestos, ratione maxime probabili, asseruit *Grammius*, regnante *R. Erico Menved*, et illius fortassis suasu. *Ericum ta-*

men nostrum historia Danica delectatum, prisca fama traditum. *Gramm. ad Meurf. p. 602, n. (a).*

o) *a, 1413. Diploma Regium* exhibet *Dugdale Monastico Anglicano, To. II, p. 360,* et *Martini V Pontif. Stevens in the history of the ancient Abbeys, Monasteries, etc. To. III, app. num. 471, p. 376.* cf. *L. B. a Nettelbla Nachricht von Birgitten Klöstern, p. 11.*

p) *Diar. Wadst. p. 54.*

q) *Diar. Wadst. p. 25.*

r) *Diar. Wadst. p. 52.*

ficilior esset *Martinus V.*, Pontifex; cum mariti Regis litteris, tum propriis, ad illum, et *Sigismundum* Imperatorem, mariti consobrinum, datis s), effecit, ut auctoritate sua omnia muniret.

His tantis beneficiis a conventu fodalium facile impetravit, ut quotidianas preces, pro Erico Rege, pro Philippa Regina, et illius parentibus, sueta caerimonia, perpetuo se oblaturos sancte promitterent t). Attulit quoque illuc, mariti nomine, brachium divi Canuti, Daniae Regis, vase argenteo et deaurato conditum u). Cum vero vicina nimis utriusque sexus fodalium commoratio, Wadstenensi Monasterio cum aliis, quae duplicium nomine censebantur, communis, morum integritati noxia deprehenderetur: ipsa Regina v), cum Rege et Episcopis, Pontifici suavit, ut haec et alia sanctione tolleretur w). Falsa igitur spe saltem inducti Wadstenenses videntur, ut crederent x), legationem *Nicolai Ragwaldi*, viri disertis y), Romanam, in quam cum Rege, sumtus contulerat Regina, sed majori longe liberalitate, propterea susceptam, ut pristino more omnia fervarentur. Nihilo secius rebus illorum impensius favere et postea pergit.

Ista simul Wadstenensia *Philippam*, his ipsis annis, saepius in *Suecia* commorata evincunt: qua occasione sic omnium animos devotos

s) a. 1419. Protulit litteras cum *Erico* Rege ad *Sigismundum* Imp. et *Martinum V.* Pont. *Ericus Benzelius*, ex biblioth. Upsal in monum. hist. vet. eccl. Sueo-Gothicae. p. 164, f.

t) a. 1421. *Diar. Wadst.* p. 63.

u) a. 1422. *Diar. Wadst.* p. 64.

v) *Dalins Sv. R. Hist.* II D, p. 630.

w) *Binis Bullis*, Romae 18 Calend. Jan. a. 1423, scriptis. *Dal. Sv. R. H.* p. 630.

x) *Diar. Wadst.* p. 22.

y) tunc Decani *Strengnesiensis*, Episcopi deinde *Wexionensis*, ab oratione, in Concilio *Basiliensi*, cui legatus interfuit, de antiquitate et praesantia regni Sueo-

votos sibi reddidit, ut et sempiternas inde laudes ipsa tulerit α), et, quoad vixerit, omnia pacata ibi et quieta servata sint. Maxime vero, summa sua humanitate, et auxilio egenis miserisque impensius praefinito, tanti illam apud cives valuisse, annales, versu antiquitus scripti, loquuntur α).

Nec talia suavissimae Conjugis in se merita minus agnovit *Ericus*, Quippe et possessiones illius jam antea auxerat, et ulterius augustiori sorge dotulitio, ab obitu suo, illam donatam voluit, et interea commodis aliis ornavit. Jam auctas fuisse facultates, ab initio illi concessas, ipsae litterae comprobant, ad Sigismundum Imperatorem, et Martinum Pontificem a Philippa perscriptae, in quibus *castrum Wordenburghense*, ubi illae exaratae, suum β) professus est. Specie tamen non caret, mox a morte Margaretae, hanc accessionem, et lautiores fortassis alias, jam factas esse. Sed, anno MCCCCXX, Philippae omnia, quae ipsius Regis in Selandia essent, arces munitae, oppida, praedia, piscationes, cum universa jurisdictione, a Rege, publicis litteris, oblata γ); hoc tamen pacto, ut, quae ab initio tenuerat, Neshuhoviam δ), Fioniae feuda, et Romerigiam restitueret. Decedente vero Erico, amplissimam hereditatem in Suecia, locis in Selandia redditus, ingrederetur. Jam quidem illi, isto in regno, referente Da-

linio

Sueo-Gothici, habita, celebrati. *Mon. hist. vet. eccl. Sueo-Goth. p. 101.* Archiepiscopus postremum Upsal. 1438. *Rhyzelii Sticht och Bisk. Chvönika, p. 302. et 46.*
 α) *Histoire de Danem. par Mallet. To. II, p. 413. Mess. Scand. ill. To. XII, p. 223. Dal. Sv. R. Hist. p. 643.*
 β) *Rimchronika, p. 181, ex Dal. hist. p. 621.*

β) "Scriptum castro meo *Wordenburgh.*" *Monum. hist. vet. eccl. Sueo-Goth. p. 170.*

γ) illa sibi tradita ipsa testata est *Philippa*, in *tabulis an. 1420, die commemorationis beati Pauli Apostoli, sive 30 Junii, scriptis Huif. Danem. Rig. Chron. p. 679.*

linio e), arx Oerebroensis, cum oppido et agro illuc relatis, concessa fuerant. Nunc vero praeterea integra *Nericia*, urbesque *Arboga*, *Arosia*, *Encopia*, *Upsalia*, *Holmia*, et aliae minores, cum castellis munitis, et territoriis ab illis pendentibus, nec non argenti, cupri, ferri, plumbi fodinis, istis in regionibus et Dalecarliae provincia, adeoque potissima adhuc pars *Westmanniae*, *Uplandiae* et *Dalecarliae*, solemnii sponse, illi promissa; et sic quidem, ut et Regia in iisdem auctoritate uteretur, et a nullius nutu penderet. Haec autem iterum ex Dalinio e) tradimus, persuasi, eadem ex monumentis probatae fidei petita esse, licet eorum mentionem non injecerit. Alii enim amplissimarum saltem possessionum, quarum in Suecia, defuncto marito, obtinendarum spem habuisset, in genere recordantur f). Nec quidem, in ipsius Reginae litteris g), quibus, cum reddendis, pro Selandiae tractibus, locis in dotalitium sibi concessis, tum aliis rebus, se obstrinxit, accuratius, quae olim, in Suecia, ditone sua complecteretur, expressa.

In his vero, si affectui in lectissimam Conjugem haud parum tribuit Ericus, non omnia tamen eidem tribuisse censendus est. Etenim, cum matrimonium illius prole destitueretur, hoc vel maxime egit, ut *Bogislao*, patrueli, aut, eo decedente, alii ex Pomeraniae Ducibus, successionem in trium regnorum imperio acquireret h). In eo autem

d) *Nesbyhoffvet* in litt. Reginae. Inde *Naesgaardiam* Suecicam, quam et *Naesboholm* antiquitus dixerent, superius conjeci, p. 11. Sed Dalinio Fioniae arcem vitam fuisse, jam animadverto. *Hist. p. 632*. Hisque favet *Pontoppidans Danske Atlas To. III, p. 451*.

Nesbuhoviam cum *Pontano* Latine reddidi. *Rer. Dan. hist. p. 565*.

e) *Sv. R. hist. II D. p. 632, f.*

f) *Pontan. ver. Dan. hist. p. 565*.

g) Jam allatis ex *Huitfeldio*.

h) *Pontan. ver. Dan. hist. p. 565*. Addidit Pontanus, ex vero: "Quod illi malorum initium fuit."

autem se Conjugis, prudentia, animi robore, civiumque amore adeo valentis, consiliis, virtute, et auctoritate plurimum adjutum iri sibi persuasit. Igitur, in iisdem illis tabulis, quas attulimus, in quibus de possessionum suarum ratione exposuit *Philippa*, et benevolentiam mariti in se summopere praedicat, sancte simul pollicita est, se, nisi liberis adhuc illorum connubium bearetur, et si marito superstes esset ipsa, regna illa *Bogislao i*), tunc adhuc impuberi, vel agnatorum *Eri-*ci proximorum alii, fervaturam, et strenue tuituram fore, *Selandiam-*que, dotalitio in *Suecia* in se translato, ultro illi tradituram.

Eadem ratione *Insulae Orcadicae* illarum Episcopo, *Thomae Tholaccio k*), in Comitatum, ea lege concessae, ut, iussus, easdem vel *Erico*, vel, illo mortuo, *Philippae*, pro *Bogislao*, restitueret. Qui vero illas, post *Thomam*, accepit, *Davidus Meyner l*) saltem in genere spondit, se Comitatum *Erico*, *Philippae*, vel illi, qui iisdem in imperio succederet, redditurum.

Quod vero possessiones, praecipue in *Suecia*, *Philippae* selegerit, inde factum existimo, quod alioquin *Bogislao* in illo regno successio- nem minus tutam, Conjugis vero studiis ibi optime munitam censuit. Miramur saltem, *Ericum* de his omnibus sic disposuisse, ut Regni Or- dinum nulla fere ratio habita videatur: quorum tamen consensu in re istius momenti opus omnino fuisset.

i) *Huitfeldts Krönike*, p. 679 lin. ult.

k) Documentum habetur in *Huitf. Krön.* p. 685.

Havniam
l) ex Document, in *Huitf. Krön.* p. 686.

Havniam quidem Episcopus Roskildiensis, anno MCCCCXVII, repetiit *m*), cum illa in Regem translatio, sede vacante, facta esset. Pactione tamen inita, in eo adquevit, ut in potestate Regis usque eo maneret, dum ab arbitris, ab utraque parte constitutis, iudicium fieret, cuiquam tribuenda. Ex urbibus igitur illis, quae *Philippae* in Selandia traditae, et *Havniam* fuisse, quis dubitaret? Tanto igitur magis illius intercessionem tribuo, quod Ericus eidem, anno MCCCCXXII, varia immunitatum genera, exemplo civitatum Germanicarum majorum, largitus sit *n*).

De *Anglis*, in oris universum Norvegicis, insularumque Schettlandicarum et Orcadicarum, quae, eo adhuc tempore, Norvegiae suberant, et ulterius Faeroensium, Islandiae, et Groenlandiae, piscaturam et mercaturam clam exercentibus, quin inter haec identidem praedam ab incolis extorquentibus, complures, iisdem annis, querimoniae enatae *o*). Quas cum ad *Henricum V* Regem, conjunctissimum affinem, deferendas curasset Ericus, graviter ille, pro necessitudine, omnibus interdixit *p*), eo navigare, et in littore Norvegico alicubi exscendere, nisi ad urbem Bergensem. Sed ne sic quidem incolis ab omnibus his offensis cautum fuit. Istos vero Anglorum suorum ausus in gentes, mariti suisque sub auspiciis viventes, plurimas molestias *Philippae* excitasse, eandemque, quidquid apud Fratrem valuit, contulisse, ut ab iis arcerentur, pro comperto quisque facile habebit.

Bello

m) Pontoppidan *Kirchenhistorie des Königr. Dänemark*, II Th. p. 513, f.

n) *Gebh. Gesch. von Dän.* I Th. p. 258.

o) in primis a. 1415 et 1420. *Gebh. Gesch. v. Dän. u. Norw.* I Th. p. 258.

p) a. 1415, 28 Nov. *Rym. foed. To. IX*, p. 322. cf. etiam *litterae Henrici R.* ad principes viros, pro Erico R. Bergae et alibi rem agentes, datae, 13 Dec. 1415, p. 325, f.

D

Bello cum *Henrico*, Duce Slesvicensi, componendo tandem, *Henrici*, *Rumpoldi* cognomine, ex Silesiae Ducibus, a Sigismundo Imperatore eam in rem delegati, contentione, spes aliqua affulgebat *q*). Sed, illo morte repentina abrepto, novae enatae difficultates. De novis igitur auxiliis sibi comparandis sollicitus Ericus, *Lubecam*, *Rostochium*, *Stralsundam*, *Wismariam*, *Luneburgum*, *Cryphiswaldiam*, *Anclamum* *r*), respublicas Hansae adscriptas, opibusque valentes, foedere sibi junxit; quo mutua, ab utraque parte, subsidia fancita, civitates vero fidem dederunt, se nunquam adversus Regem cuiuspiam opem laturas. Inter haec, expressis etiam verbis, se obstrinxerunt, se, ex vita decedente Rege, *Philippae* Reginae in dotalitio tuendo adfuturas, eandemque, si quis illam in eodem turbaret, propugnaturas fore *s*). Haec vero luculenter fati produnt, quae Reginae in isto pacto partes fuerint, illiusque praecipue curis idem coisse.

Ericus quidem his taliter rebus suis consultum duxit, ut, brevi post, longissimum iter fusciperet *t*), et *Philippae* conjugii, interea integrum imperium in regna sua committeret.

§. VI.

q) Litterae ab *Erico* Rege, et *Henrico*, *Adolpho*, atque *Gebhardo*, fratribus Ducibus Slesvicenibus, a. 1423, die circumcissionis, vicissim sibi traditae, a *Sigismundo* Imper. decreto suo insertae leguntur, in *Huitf. Dan. R. Kr. p. 698, f.*

r) *Havniae*, a. 1423, *Viti* et *Mode-*

sti die, f. 15 Jun. *Tabulas foederis* habemus lingua Germanica, in *Huitf. D. R. Krön. p. 690.*

s) *Huitf. p. 693.*

t) a. 1423, die Dominici, sive 4 Aug. ex *Diar. Wadsten. p. 67.*

§. VI.

Imperium a Philippa, Erico in itinere constituto, administratum.

Professionis ab Erico susceptae rationes diversae, binae autem potissimae; altera, ut *Sigismundum* Imperatorem, cujus auctoritate rem cum Hofatis agitatam optime confici posse sibi persuaderet, ipsemet adiret; altera ut *Femariae*, caedibus, rapinis, incendiisque, anno MCCCCXIX, a milite suo, penitus everfae, scelus, quod pectus excruciat, peregrinatione in Palaestinam expiaret *u*). Controversiae autem obnoxium, quantum temporis in hoc itinere consumserit. Alii enim, jam anno MCCCCXXIII, illud a Rege initum statuerunt, et ad annum MCCCCXXV protrahunt *v*); alii institutum quidem priori, sed jam anno MCCCCXXIV absolutum *w*); alii anno primum MCCCCXXIV susceptum, ad annum vero MCCCCXXV perdurasse *x*); alii denique unius saltem anni MCCCCXXIV illud fuisse, ut mense Septembri jam Helsingburgi praesentem se gesserit Ericus *y*). Me qui-

u) *Micraclii altes Pommerland*, III B. p. 394.

Th. p. 544, Hist. de D. par Mall. To. II, p. 397, f.

v) *Messenii Scand. ill. To. XII, p. 222, f. In chronol. enim Scand. To. III, pag. 49, ineunte demum anno MCCCCXXIV, Ericum in Pomeraniam contendisse scripserat. Gramm. in not. ad Meurfii hist. D. p. 569, f.*

w) *Gebh. Gesch. von Dän. I Th. p. 656, f.*

x) *Huitf. Dan. R. Krön. p. 697, f. Pont. rev. Dan. hist. p. 570, Meurf. h. D. p. 569. Holb. Dän. Reichsh. I*

y) *Dalins Sv. R. Hist. p. 636, f. Commoratum autem Ericum eo tempore Helsingburgi, diplomate probatum ivit Dalinius, quo, ser. 3 ante festum b. Matth. an. 1424, Joanni Willemsonio Cantori Lundenli, praedium in Scania a Rege concessum. Sed uno hoc diplomate, accuratori adhuc examini subjiciendo, quae contrarium urgent, argumenta nondum tolli existimarem. cf. Luxdorphs Anledning til Mynters Udregning in Skrifter, uti det Kiøbenhavn'ske Selskab freml. IX Deel, p. 697, f.*

quidem primae opinioni *z*) accedere non diffiteor, his praesertim argumentis ductum; quod hinc de itinere, a Rege, anno MCCCCXXIII, die Dominici, qui IV Augusti, inito, expresse retulerint annales Wadstenenses *a*); illinc reducem ex Palaestina, Venetias, anno MCCCCXXV die III Januarii, adpulsam, ex Diario Veneto manuscripto, Odoricus Raynaldus, in historia sua ecclesiastica, annotarit *b*). Praeterea et ea, quae domi a *Philippa* Regina, ultimis anni MCCCCXXIV mensibus, gesta sunt *c*), Ericum adhuc absentem satis comprobant; ut longissimi itineris rationes non urgeam.

Hanc igitur totius profectiois ideam animo concipio. Ex Dania, anno MCCCCXXIII, mense Augusti, in *Pomeraniam* suam trajecit Ericus, quam ulteriorem magna parte tenuit *d*). Ibi aliquo tempore commoratus, inde, sub initium anni MCCCCXXIV, in *Poloniam*, ad *Vladislaum* Regem, tendit *e*), et, Cracoviae, Februarii mense, inaugurationi *Sophiae* Reginae, cum *Sigismundo* Imperatore, qui aliquanto serius advenerat, interfuit. Foedus cum utroque initum; et filia *Vladislai Hedewigis, Bogislao*, *Erici* patrueli, quem in regno successit

z) quin jam *Messenii* in analectis? Tamen exeunte demum a. MCCCCXXIII Ericum in *Pomeraniam* contendisse scripsit.

a) *Diar. Wadst.* p. 67.

b) *To. XVIII annal. eccles.* a Baronis inchoatorum. n. 12, p. 76, ed. *Coln.*

c) nimirum 1) pactum cum civitatibus Hanseaticis de moneta communi ratione cadenda, die 9 Oct. 1424 initum, 2) controversia de possessionibus, quas *Boetius, Episcopus Arhusiensis*, tutorio

nomine, a Rege et Regno administrandas habuerat, cum successore illius, *Ulrico Styggeo*, 1427, professo *b. Martini*, f. 9 Nov.

d) *Stargardiam* nempe novam, *Camminum*, *Wollinam insulam*, *Treptoviam*, *Belgardiam*, *Ruegenwaldiam*; quae *Pomeraniam* strictiori sensu acceptam, *Cassubiam*, et partem *Wandaliae* efficiunt. v. *Schwarz Pommerisch-Rügische Lehnshist.* p. 480.

e) *Dlugosji hist. Polon. lib. XI*, p. 477.

successorem constituerat, in matrimonium destinata. Hinc Sigismundum in *Hungariam* redeuntem comitatus fuit Ericus. Ibi *Budae*, mense Junii f), ab Imperatore sententia, pro Rege, adversus Henricum Ducem Slesvicensem, solemniter lata; qua Ducatu Slesvicensi excederet, eundemque universum Erico Regi restituere teneretur. Inde *Ventis* navem ascendens, in comitatu mercatoris, cujus ministrum se simulavit g), *Palaestinam* concessit; et Hierosolymis sepulchrum Servatoris, cujus tunc aditus difficilissimus, mercatoris illius inventu, qui singulari gratia apud Principem, Aegypti Sultanum, valuit, lustravit h). Sed cum Regis, in Hungaria apud Sigismundum versantis, imaginem filius Emanuelis Palaeologi, Imperatoris Constantinopolitani, depingendam curasset, dono deinde Sultano transmissam, non sine magno discrimine, et ampla largitione facta, salvus evasit. Velis igitur denuo *Ventias* directis, eo, ipsis anni MCCCCXXV initiis, pervenit i); unde in Daniam rediit. Ineunte autem vere jam domi constitutum conjicio.

Universo igitur hoc tempore, et sesqui adeo anno, *Philippa* imperio praefuit: idque summa laude gessit. Longe autem maximam, non apud cives suos solum, sed et externos, iniiit gratiam, quod moneatam, a marito valde depravatam, suppressit, aliamque iusto pretio eudendam curavit. Ista quidem nummi perversa a Rege immutatio ad illius

f) d. 28 Junii, ex Diplom. Imp. *Huitf. Danem. Rig. Kr. p. 697, f. Pont. rer. Dan. hist. p. 571, l.*

g) *Herm. Corneri Chronicon, in corp. hist. medii aevi Eccardi, To. II, pag. 1261.* Cornerus, Erico R. ex parte co-

aevus, ordinis S. Dominici Sodalis, Lubecae vitam degens, multa ad historiam Regis facientia Annalibus suis intulit, cum cautione tamen adhibenda.

h) *Cornerus loc. cit.*

i) d. 3. Jan. ex animadvers. *Raynaldi in annal. eccl.*

illius ex itinere reditum, auctoritate antiquiorum scriptorum *k*), plerumque referri solet *l*). Sed si ad pactiōem, a Regina cum civitatibus quibusdam Hanſa ſociatis, de moneta conformi ratione cudenda initam, respiciamus: jam ante profectiōem, ab Erico institutam, pecuniā hac labe affectam fuisse, ut fortassis sumtus ad illam suppetere, non abs re tuebimur.

Scilicet, bello diuturno, et in damnum suum plerumque gesto, tandem opibus exhaustum se sentiebat Ericus. Quibus recuperandis cum neque reditus ordinarii sufficerent, nec onera civibus imposita: expeditissimam viam ratus est, quam, omni aevo saepius initam novimus, ex monetae imminutione lucrum capere. Gravi igitur edicto omnibus imperavit, ut quos aureos vel argenteos nummos externos possiderent, quosve patrios, quin ipsius Regis nomine olim cufos, eos universos ad officinas monetarias adportarent, et novam pro iis monetam acciperent *m*). Hanc totam ex cupro fuisse aliqui retulerunt *n*): illiusque exempla apud Bircherodium *o*), et Brennerum *p*) conspiciuntur. Alii tribus partibus cupream, quarta autem argenteam contenderunt *q*), ex comparatione procul dubio, ista pactiōe, cum nummis civitatum foederatarum instituta. Priorem illam, nisi pro asse adhibita sit, potius signatam cum in finem dicerem, ut monetae argenteae loco modo esset, ea ratione, qua calamitatibus reipublicae identidem subveniendum duxerunt. Haec, quod externo habitu ab initio,

falle-

k) *Corneri Chron.* p. 1266.

l) *Huitf. Krön.* p. 726. *Pont.* p. 584. *Meurf.* p. 572.

m) *Corneri relatu.*

n) *Corn. Huitf. Pont. Meurf.*

o) *Specimen antiquae rei monetariae Danorum.* p. 126, f.

p) *Theſaurus numm. Sueo-Goth.* p. 28, n. 9, et *Tab. VI.*

q) *Gebh. Gesch. v. Dän. I Th. p. 657.*

falleret, plus doli habuisset. Cujuscunque vero generis censeatur: maximum inde detrimentum cives acceperunt, dum et in ipsa moneta jacturam facerent, et commercia cum exteris interrumperent. Etenim hi, pro mercibus advehtis, quibus eo tempore aegerrime carere poterant terrae boreales, pecuniam adeo vilem reportare omni modo recusarunt, et, fracto negotio, redierunt. Immo, cum ipsimet ex his turbis insigni plaga afficerentur, ut qui mercatura, istis in regnis facta, ditescere maxime consueverant, libellis contumeliosis, et carminibus quoque, in Regem investiti sunt *r*): omnisque fere navigatio cessavit. Quibus perpensis, etiam in hoc itineris, a Rege suscepti, causam fortassis aliquam quis detegeret, ut scilicet talibus offensis, et civium querelis motibusque se subtraheret.

Tanto igitur majoris *Philippae* studium praedicandum, quo aerumnis his finem imposuit. Ut enim amantissima mariti, aegerrime has de illo criminationes tulit, et monetam antiquioris notae illico restituit. Idem vero jam antea frequenter ab illa factum, tradidit, quod nescio auctore, Messenius *s*), quod diversa vice Ericus, hanc in nummis tentasset iniquitatem. Cum vero commerciis cum exteris valde profuturum videret Regina, si communibus cum his consiliis ista agerentur: cum magistratu *Lubecensi*, *Hamburgensi*, *Luneburgensi* et *Wismariensi*, anno MCCCCXXIV, die IX Octobris, pactionem illam maxime memorabilem, cujus superius mentionem injeci, iniit, sermone Saxoniae inferioris in tabulas relatam, qua et de nummis, eadem jam lege feriendis, constitutum, et quo valore diversa monetae genera,

quo-

r) *Cornerus. Cranzii Chronicon regnorum aquilonalium. p. 328.*

s) *Scand. ill. To III, p. 49.*

quorum tunc usus potissimum viguit, venirent, definitum fuit. Antiquissimum hoc in re nummaria gentium borealium, ex omnibus, quae huc usque videre contigit, documentum, et quo monetae istarum terrarum epocha notatu dignissima illustratur. Hinc valde obstrictos nos Luxdorpii, praestantissimi viri, diligentiae profitemur, quod illud in lucem protraxerit, et animadversionibus suis locupletavit t).

Inter haec observasse nostra refert, ipsiusmet *Erici*, de quo ob depravatam monetam cives conquesti sunt, *nummum aureum* elegantissimum u) haberi, alii argenteo externa facie simillimum w), qui Floreni aurei magnitudinem aequet, sed istius crassitudinis, ut septem fere Thaleris Imperialibus respondeat. In hoc aureorum Byzantinorum rationem servatam Luxdorpius coniecit, ut pro duplici censeri possit; illiusque aliquam copiam Ericum, dum iter in Orientem meditaretur, cudendam fecisse, ut iisdem in via uteretur. Quae licet valde placeant, magis tamen arridet, ab illius reditu Byzantinos illos repetere.

Antea vero, quam *Philippa* cum civitatibus de moneta, certa lege formanda, transigeret, Proceres cujuslibet regni *Helsingburgi*, ipsa aestate, convenire iusserat, ut de rebus, communi saluti profuturis, consilia inirent: quod, ex litteris Senatus Danici ad Suevicum, Maji

t) *Anledning til nogle Mynters Udrøgning. Skrifter udi det Kiøbenh. Selsk. fr. IX Deel. p. 703 f.* Eadem commentatione pulcherrima etiam de infingni nummo, quem in dotem secum attulisse Philippam, litteris proditum, plane in mentem nostram disierit, p. 693 f.

u) Pictura cernitur in *Luxdorphi Anledn til Mynt. Udregn. p. 635. cf. Beskrifning öfver Svenska Mynt, af Canzl. R. Carl Reinhold Berch. p. 24.*

w) *Brenn. thes. p. 28. n. 7. et Tab. VI.*

Maji mense datis x), observavit Dalinius. Eoque conventu monetæ inprimis dignitati suæ restituendæ rationem habitam, et, illorum suafu et suffragiis, ista cum civitatibus Germanicis composita fuisse, tanto minus dubitationi obnoxium, quod ipsis tabulis Philippa professæ est, se, consilio Senatorum regnorum suorum, in re illa versatam y). Neque inficio quidem Rege z) hæc gesta fuisse, inde colligo, quod, ipsius nomine, et suo, et Senatorum civiumque regnorum suorum, hæc confecta, claris verbis, eadem innuit.

Qua vero, in exercendo imperio, in omnes gratia fuit Philippa, non tamen auctoritati suæ, vel Regis regniq; juribus quidpiam detrahi passæ est. Igitur cum, mortuo Boetio, Arhusiensium Episcopo, Ulricus Styggeus, qui in illius locum successerat, etiam ea, quæ ille, a Rege regnoque accepta sub ditione sua complexus fuerat, sibi vindicaret, nec hereditatis, quàm ingressus esset, rationes reddere vellet, serio rem urgebat Philippa a). Transmissa deinde eadem ad binos Episcopos, qui litem suaviter componerent. Sed tanti ulterius habita, ut, sequenti demum anno b), conventu, Lundini Scanorum, inter Archiepiscopum Lundensem c), Episcopumque Othinensem, et Sena-

x) fer. 6 ante Dom. voc. Jucund. 1424. Dal. Sv. R. Hist. II D. pag. 637.

y) "na rade unde vulborde der Redere unfer Ryke."

z) "van des sulven unses gnedighen Heren, unfer, unde der Rike Redere unde Manschop weggen." Absente autem Rege hæc gesta esse verba luculenter comprobant. "van lodaner macht unde bevelynghe weggen, alse uns unse alderleveste genedighe Here, in si-

nem affwesende, de Ryke unde Land bevolen heft."

a) Aliqui Senatorum cum Regni Cancellario propterea Arhusiæ aderant, et actionem insituebant, 1424 prof. Martini, sive 9 Nov. Huitf. p. 712.

b) prof. S. Valentini t. 13 Febr. Huitf. p. 713, Pont. p. 578. Meurf. p. 571.

c) Archiepiscopus tunc Lundensis Petrus ille Lyckius quo potissimum interprete de matrimonio Erici cum Phi-

tores aliquos, convocato, ea dirempta sit, hoc quidem exitu, ut de illis, quae dioecesis essent, ex legibus ecclesiae, de illis vero, quae Regis regnique, a Senatu iudicium fieret.

Interea etiam Concilium cleri Danici, Havniae, anno MCCCCXXV, mense Januarii, Praefide eodem Archiepiscopo Lundensi, *Petro Lyckio*, celebratum, cui omnes Daniae Episcopi interfuere. Slesvicensis autem, excusatione a senio et valetudine adhibita, binos legatos misit. Conscripti quoque eo Abbates et Praelati alii, ut plurimum splendoris Comitum illa sacra habuisse inde colligamus; et ipsius Reginae vel suavis instituta, vel auspiciis ducta fuisse. Sed quae in illis gesta fuere, saltem caerimonias ecclesiae et mores cleri, nimium dissolutos, spectarunt; de rebus fidei parum aut nihil actum fuit. Sancitum quoque primo loco, ut pro Rege *Erico*, et *Philippa* Regina, et statu totius regni pacato, nec non pro illis, qui ecclesiae commodis egregie consulissent, et nominatim pro *Margareta*, trium regnorum quondam Regina, preces, sacro ritu, quotidie fierent. Haecque omnia, pluribus verbis transcripta, constitutione leguntur, Archiepiscopi nomine, die XVIII Januarii anni MCCCCXXV, edita d), et ipsius, Episcoporum, ac Suffraganeorum sigillis munita.

Dum ea ratione *Philippa* regna borealia summo imperio regeret, fratre *Henrico V*, Rege, praematura morte, anno MCCCCXXII, abrepto, filioque illius, *Henrico VI*, prima adhuc infantia constituto, proximus

Joannes,

Philippa, in Anglia, actum fuerat; quemque exinde *Philippae* gratia floruisse, et, illius commendatione, ad istud fastigium evectum conjicio.

d) Historiis suis illam intulerunt *Huifeldius* atque *Pontanus*. *Huif.* p. 214, s. *Pont.* p. 579, s.

Joannes, Dux Bedfordiae, res Anglorum in Gallia, Administratoris regni appellatione, insigni decore gessit, praeclara in primis ad *Verneliam* in Normannia victoria reportata e). Fratrum vero alter *Humphredus*, Dux Gloucestriae, regno Angliae non minori virtute praefuit. Hanc in una familia felicitatem quisne suspiceret? *Blanca* vero, Philippae soror, nupta *Ludovico* Palatino, barbati cognomine, tunc Principi heredi, ab anno vero MCCCCX Electori, jam e vita decesserat f): et Ludovicus, secundis nuptiis, cum *Mechtilde* de Sabaudia, Amadei, Pedemontii quondam Comitum, filia vivebat g). Natus illi ex Blanca filius *Rupertus*, cui *Angli* cognomen inditum: qui vero anno MCCCCXXVI, cum ipse vicissimum ageret, diem obiit.

§. VII.

Annorum, a reditu Erici, ad secessum Philippae in monasterium Wadstenense, historia.

Inter ea, quae ab Erico, mox post reditum, praefita sunt, non ultimo loco censeo, *Helsingoram*, in ipsius freti Danici littore Selandico, juribus civitatis ornatam h). Id vero *Philippae* maxime consilium tribuendum inde statuo, quod illius in primis tutelae Selandia suberat. Talibusque initiis *Helsingora*, brevi tempore, in emporium celebre furrexit. Duces

e) *Hume's hist. of Engl. Vol. II, p. 325, f.*

f) ante annum certe MCCCCXXII. *Sandfordius* quidem, in *geneal. hist. p. 276*, illam, mortuo Ludovico marito, *Aragoniae* Regi, et deinde Duci *Barensi*, neutrius tamen nomine expresso, matrimonio junctam fuisse retulit. Sed haec ipsa re tolli quisne videt, cum Ludovicus anno demum 1437 fato cesserit? *Heidelbergae*, in cella templi Spiritui Sancto dicati, ubi mariti monumentum

fervatur, in testudine, et haec scripta leguntur. "Domina *Planchia*, filia Regis Angliae, uxor ejus." *Parei hist. Bavarico-Palatina, pag. 217*. Ex quibus illam ibi sepultam conficimus.

g) *Ludovicum* patrem *Mechtildis* dixit *Pareus*. *Amadeum* potius, cum *Huebnero*, statuimus. *Geneal. Tab. I Th. Tab. 133 et 291*.

h) a. 1425, dominica infra octavam corporis Christi, mense adeo Junii. *Huitf. Krön. p. 727*.

Duces autem Slesvicenses *Sigismundi* decreto nullo modo obtemperandum censuere. Quod cum in sui contumeliam traheret Imperator, Ordinis Teutonici magistrum, Principesque et civitates Hansa sociatas, in vicinia, iussit *i*), armis eos ad officium adigere. Sed Holsati, causa ad Pontificem delata, apud reliquos primo rem eo deduxerunt, ut a vi abstinerent; deinde, suasionibus suis, civitates, a foedere cum Rege, tribus retro annis inito, avocatas, impulerunt, ut ipsi *Erico* bellum indicerent *k*). Quo facto, licet permagno exercitu ipsam urbem Slesvicensem obsidione clausam *l*) teneret *Ericus*, Sociorum tamen majores copias, navales potissimum, pertimescens, inde tam praepropere secessit, ut in fugae notam incurreret. Immo, sequenti anno, foederati, insulis Danicis compluribus spoliatis, exercitum Flensburgum mari transferendum curarunt *m*), ut urbem caperent. Is quidem, caeso, impetu in arcem facto, *Henrico*, Duce Slesvicensi *n*), domum reversus est. *Adolphus* autem fratri successit, et, cum *Gerhardo*, fratrum tertio, non minori virtute, rem gessit.

In istud vero civitatum adversus Regem foedus coierant quoque *Stralsundensium*, *Gryphiswaldensium* et *Anclamensium* respublicae, tamen etfi Pomeraniae Ducum clientelam respicerent. Nec horum monitis *Ericum* adgredi recusarunt. *Stralsundes* autem naves etiam copiasque reliquis junxerunt. Classi igitur instructa foederati Selandiam inter

i) litteris copiosis, a. 1425, domin. Oculi datis. *Gebh. Gesch. p. 657. f.*

k) a. 1426, d. 18 Octobr.

l) a. 22 inde Julii.

m) a. 1427, ineunte vere.

n) vigilia ascensionis Dominicae. *Cranz. Chron. vagn. aquil. p. 331.*

o) *Huitf. Krön. p. 732.*

ter et Scaniam stationem ceperunt, ut naves, quas, ex mari Germanico, mercibus onustas expectarent, dum fretum Danicum transirent, tuerentur. Sed, ante illarum adventum, in classem Regiam incidit focciata classis *p*), et, ex parte quidem victrix, ex majori autem clade affecta, a statione recedere coacta fuit. Naves vero mercatoriae, jam accedentes, Regi in praedam, satis opimam, cefferunt. Hanc quidem plagam in magistratu suo, cives Rostochiensēs, Wismariensēs, Stralfundenses, partim exilio, partim internecione, ulți sunt *q*). Sed nihilo secius bellum in Regem, Imperatore licet summopere disuadente, proseguendum duxerunt.

Advenerat nimirum Lubecam novus a Sigismundo legatus, *Stochius r*), civitatibus inducias sex annorum imperans: quibus etiam servandis Duces Slesvicenses se obstrinxerunt. At, Stochio, variis impedimentis objectis, diutius ab ulteriori ad Regem itinere detento, classis interea ducentarum et quadraginta navium, primo vere anni MCCCCXXVIII, congregata *s*), quam duodecim millia militum ascenderunt, ut Havniam inopinato adgrederentur. Imperium in omnes *Gerhardo*, Duci Slesvicensi, traditum. Praeterea classis piratarum, quas Vitalianorum appellatione inde a bello, pro Alberto Rege adversus Margaretam gesto, insignire consueverant *t*), a *Voetio* quodam ducta est.

Non

p) circa festum Mariae Magdaleneae, s. 22 Julii. *Corneri Chron.* p. 1281.

q) *Cornerus*, p. 1282, s.

r) missus d. 4 Julii, 1427. *Huisf.* p. 737, s.

s) *Cornerus* p. 1287.

t) Danice *Fetalje. Brödere*, a vocabulo *Fetalje*, quod iterum ex illo *Vitalium* corruptum, cum comneatus advehendi gratia primum adhibiti: ex quo piraticam exercere coeperunt.

Non ignarus horum moliminum Ericus, licet occulte fatis agebantur, urbem et praesidiis auxerat, et classem suam in portu tutissimo loco constituerat, et aditum, ab utroque latere, munimentis sic custodiendum curarat, ut difficillimus hostibus accessus esset *u*). Nihil fecius, sub adventum classis Sociorum *v*), Rex ipse non adfuit; sed, ut fama tulit, in monasterio Sorano *w*), in meditullio Selandiae sito, delituit, sive timore percitus, sive ut religioni operam daret. Ab aliis vicissim traditum, Regem quidem, hostibus advectis, ex Selandis, qui arma ferre tenerentur, convocasse; sed plurimos patriae defuisse, permultos etiam, licet comparuissent, signa iterum deseruisse; proptereaque in homines tam abjecti animi et profugos legem denuo promulgatam, et novis poenis constitutis auctam fuisse *x*).

At, tanto rerum discrimine, *Philippam* tamen Reginam virtus sua non deseruit, et juvenum, qui summa celeritate colligi potuerunt, caervae, suo exemplo, praemiisque animum addidit, ut se hosti alacriter objicerent *y*). Foederati autem, cum navibus suis classem Regiam petere non possent, ex malis navium, quas aquis submergere constituerant, trabibusque aliis ratem praegrandem construendam curarunt, in quam tormenta sua collocarunt, et illorum ope lapidum molem in naves Regias projecerunt. Sed Dani, simili trabium structura in eos advecti, faxorum aequae telarumque ictu ab ulteriori progressu eos prohibuere. Tandem, commisso gravi proelio, foederatis a pro-

u) Corner. *Cranzii hist. regn. aequil.* p. 333.

v) *Feria secunda Paschae. Corn.*

w) *Huitf. Krön. p. 741. Messen. Scand. ill. To. XII, p. 223.*

x) *Gebh. Gesch. von Dän. p. 662. Danske Magazin, V B. p. 319.*

y) *Huitf. p. 741, Pontan. p. 588, Meurs. p. 576.*

a proposito recedendum fuit. Nec aliud, quo naves ab exitu excludere, quin portum ipsum delere studuerunt, ex votis cessit. Dum enim plurium navium, saxis oppletarum, in fundum submersione, illud fatagerent, accidit, ut cum ex transverso omnes undis immitti debuissent, ab illarum una atque altera idem situ directo fieret; quo excursus omnino, licet arctior et impeditus, patuit. Et quo minus rem peragerent, a Danis, navibus jam solutis, eo tendentibus, propulli sunt. Spe igitur utrimque frustrata, recedendum illis fuit: tantaeque impensae incassum factae. In Selandiae tamen oris excursionses aliquae et praedationes tentatae. Bergensium autem civitati, ad quam, ab enato hoc cum rebuspublicis sociatis bello, Angli crebriora commercia facere instituerant, Voetius, classis piraticae ductor, majorem adhuc perniciem intulit z). Facile hinc perspectu, civitates Hanseaticas, cum Holstatis se junxissent, non adeo illorum rebus consultum voluisse, sed hoc potius egisse, ut crescens, *Philippae* maxime auspiciis, urbium Danicarum robur, quod summo detrimento sibi olim futurum praecernerent, primis initiis everterent.

Philippa festum pentecosten Havniae peregit. Ibidem primum contentionem inter *Magnum Gozum* et *Martinum Jensonium*, illustris dignitatis viros, exortam, studiis suis composuit, ut in gratiam inter se redirent. Deinde solemnes in arce Regia epulas instruxit, et milites juvenesque, qui pro civitate clasique Regia tam fortiter propugnassent, quam liberalissime habuit, verbisque ad virtutem acuendam aptissimis testata est, se non modo maximi eam in illis facere, sed et curam

z) Omnia haec ex *Corneri* narratione petita, p. 1287, f.

curam omnem, et benevolentiam, qua apud Regem valeret, adhibeturam, ut praemiis, quae promeruissent, afficerentur a).

His a Regina magno animo gestis cum inhaereamus, iuvabit, inter haec, *Fratrū* illius denuo recordari, quem alterum, summa felicitate, Anglorum in Francia res administrare, alterum iisdem domi praeesse cernimus. *Carolus VII* Franciae Regis, quem avita jura ei tribuebant, titulum aegre tuebatur, arcūs trans Ligerim limitibus circumscriptus. Caputque regni, ipsa Lutetia, Anglorum dominio suberat. Sed sensim fortuna illorum, nimium secunda, suas quoque vicissitudines experta est. Retardati initio progressus, enatis inimicitias inter *Philippum*, Ducem Burgundiae, quo socio in his usi fuerant, et *Humphredum*, Glocestriae Ducem, ob connubium cum Jacobea Hannoniae, Hollandiae et Selandiae Comite, affectatum, quae primo marito, Joanni Duci Brabantino, Philippi patrueli, se subtraxerat. Nec minorem noxam ejusdem Humphredi cum patruo *Henrico*, Episcopo Wincestriae, contentiones domesticae attulerunt. Hae tamen, studiis fratris, Ducis Bedfordiae, qui propterea in Angliam se contulerat b), aliquo modo sopitae. Et a connubio Jacobaeae, Pontificis auctoritate dissoluto, Humphredus ipsemet recessit. Sed similitates, a Philippo in Anglos susceptae, difficilius tolli potuerunt. Dux autem Britanniae, qui ab illorum partibus fuerat, jam Carolo se addixerat. Congressu quoque cum hostibus, clade, licet leviori, affecti fuerant. Reditu tamen suo c), Dux Bedfordiae rem fere restituit. In Carolo igitur debellando ulterius versatus, principe loco, civitatem *Aurelianensem* occu-

a) *Huitf.* p. 742. *Pont.* p. 598. c) an. 1426.

b) an. 1425.

occupandam censuit, quam, inter provincias ab illo adhuc servatas, et quae Anglorum sub ditione erant, mediam, et, pro illorum temporum conditione, munitissimam respiciebat. Suscepta proinde oppugnatione, eodem anno MCCCCXXVIII, quo *Philippa* Havniam virtute sua salvam praestitit, mense Octobris, ductu Comitis Salisburienfis, et, cum periisset idem, Comitis Suffolciae. At protracta per totam hiemem; ut per universam Europam omnes summa expectatione, cuinam postremum urbs cessura foret, tenerentur d).

Interea, quae ab Imperatore pro Erico agebantur, non meliorem sortem experta sunt, Ducibus Slesvicensibus, et civitatibus sociatis causam suam, quibuslibet rationibus, tuentibus e). Igitur, quamprimum, anno MCCCCXXIX, mare ingredi coeli tempestas admitteret f), Voetius, spoliis superioribus allectus, septem denuo navibus piraticis, quae quadringentos homines ferebant, ad oras Norvegicas profectus est. Ad Bergam vero exscendens, eam praesidio firmatam offendit, copiasque undique accersitas percepit, quae a reditu illum intercluderent. Mare igitur repetens, insignem vidit multitudinem navium Norvegicarum, quas plus centum numero fuisse Cornerus retulit, vela in classem suam facientium. Nihilominus, proelio commisso, quatuor e majoribus, plurimae enim exiguae, ab illo expugnatae, reliquae in fugam dejectae, et partim submersae. Hominum permulti undis perierunt: captivi omnes truculenter interfecti. His propulsis, Bergam denuo

d) *Hume's history of England, Vol. II, p. 329, f.*

e) *Huitf. p. 742. Pont. p. 598.*

f) Ex *Corneri* narratione, cui plu-

rimum hic tribuendum statuimus. *Chron. pag. 1290, seq. Huitfeldius enim autumnum demum haec contigisse retulit, p. 743.*

denuo tendens Voetius cum suis, illam a praefidio suo et civibus fere desertam invenit. Facta igitur amplissima praeda, urbisque parte incendio deleta, mari Germanico pervagato, Hamburgum concesserunt.

Eodem fere tempore, hisque fortassis nuntiis commotus, *Ericus* in Sueciam se contulit, ut novas procul dubio inde suppetias ferret. Alioquin enim rarissime in hoc regno versabatur *h*). Voluntate tamen in se satis prona hucusque Suecos expertus erat: ad quod Philippae studia plurimum valuisse percepimus. Hancque illorum erga se fidem ipsemet litteris suis *i*) praedicandam duxerat. Inter haec tamen valde eos pigebat, naves suas copiasque et opes ad bellum exterum conferre, in quo nullae illorum partes essent, et quod multis modis in perniciem illorum cederet. His igitur inductum *Ericum* credimus, Sueciam ipsummet adiisse, ut animos tanto certius in rem suam fleteret.

Interim *Philippa* regimine in Dania functa videtur. Selandiam certe clientelae illius jam diutius traditam vidimus. Successu igitur praeterlaphi anni animata, et Voetii etiam recentissimis ausibus gravius commota, consilium iniit, hostium nova molimina praecidere, et, quae oris Danicis atque Norvegicis intulissent mala, eadem illis

ipsis

g) Conventu Nicopiae, in Falstria insula, bello componendo, Junii mense, habito, in Sueciam abiisse *Ericum*, ex *Huittfeldii* expositione facile quis colligeret. *Dal. S. R. H. pag. 640.* Sed, quae apud Stralsundam gesta sunt, citius professionem illam susceptam, evinunt.

h) Hancque causam statuerunt, qui rem nummariam Sueciam scrutati sunt,

quod rarissime pariter *Eri*ci nummi habeantur, in quibus Sueciae denominatio primum locum occupet. *Brenn. thes. numm. Su. G. pag. 26. Canzl. R. Berchs Beskrifn. öfver Swenska Mynt, p. 28.*

i) ad Senatum Suecicum, an. 1426, tempore vernali, datis. *Dal. Sv. R. H. p. 638.*

ipsis inferre. Medio igitur adhuc vere *k*), naves circiter septuaginta quinque, summa celeritate, collegit, easdemque, militibus mille quadringentis, et quibus ceteroquin opus esset, instructas, *Stralsundam*, sive quod, *Havniae* ex obliquo objecta, facillime peti posset, sive quod eidem magis offensa, cursum dirigere iussit, et imperata ibi facere. Valde vero probabile, si, hoc loco, eventus conatibus respondisset, etiam adversus alias civitates maritimas similia suscepta fuisse.

Danorum copiae, media nocte, ad *Stralsundam* appulsae, illico navibus hostium, quibus abducendis nulla spes esset, ignes iniecerunt, quas vero secum auferre possent, abstulerunt. Illucente deinde die, ex bombardis, lapidum vis ab illis in urbem projecta, et, exscensione a militibus facta, cives ad proelium ineundum provocati. Hi vero, quod illis impares se crederent, intra moenia se continere satius duxerunt. Naves igitur suas iterum ingressae Danorum copiae. Cum vero, vento plane adverso, mari se committere nollent, juxta *Pomeraniae* littora, ad *Wolgastiam* usque, profectae sunt. Sed dum ibi in anchoris tenerentur, contigit, ut naves aliquae *Lubecensium* ac *Wisnariensium* *Stralsundam*, commerciorum gratia, pervenirent. Vindictam igitur spirantes cives *Stralsundenses*, eas quam expeditissime exonerarunt, virosque armatos in illos se conferre iusserunt. Hisque, ex propriis navibus, quas flammis eripuerunt, alias, eadem ratione adornatas, junxerunt. Praefectus vero classis, taliter congestae, constituitur *Paulus* quidam, gubernator saltem navis, sed bello navali exercitatus, et animo fortissimus. Praeterea Consul etiam *Stralsundensium*, *Joannes de Lipsia*, cum primoribus quibusdam civitatis, na-
vem
k) circa festum ascensionis Domini. *Corn.*

yem ascendit, et omnes, ut pro salute publica strenue propugnarent, exhortatus est.

Redeuntibus igitur Danis, ut urbem praeterveherentur, Paulus mox viam intereluit, repentino impetu et acri illos adgressus. Exorto inde proelio, naves aliquot illorum majores occupavit, hominibusque caesis, fociis suis eas tradidit. Auctusque taliter viribus in naves minores, vel scaphas, quarum maxima pars, investus, plurimas subvertit, ut undis, qui illas tuerentur, pereundum esset. Captivorum trecenti ad urbem ducti. Et, ex universa classi, singula modo navigia cladem effugerunt. In his navis majoris praefectum, cum comitibus, fidem violasse, et captivitati se subtraxisse, custodibus, illis in securitatem concessis, secum abductis, conquesti sunt Stralfundes. Isti vero captivos se negarunt, cum se tales, data dextra, non professi essent *l*). Hoc tamen facto sic ira excanduisse Sundenses existimo, ut ex captivis quadraginta capite plecti jusserint *m*). Reliquis vero, humanius deinde habitis, tandem domum redire concessum fuit.

Funestissimi hujus excidii hanc primo causam statuimus, quod navibus plerisque nimis exiguis accesserint Dani, quarum ipsa copia illis impedimento fuit, praesertim cum freti angustiis illis res agenda esset. Praegravatas etiam hominum, quos ferebant, numero easdem susceptor, ut illis armis suis promte et expedite uti non liceret. Inexpectato

l) Haec omnia ex *Cornero* petita, *Chron. p. 1201, f. Cranzius* brevissimis modo rem attigit. *Chr. regn. aquil. p. 337.* Aliquanto copiosior *Huitfeldius, Krön. p. 743.* Ex hoc vero reliqui sua hauserunt.

m) Silentio haec praeteriit *Cornerus, Lubecensis,* et in *Sundenses* igitur studio ductus. Sed *Huitf.*, auctoritatibus procul dubio nixus, ea retulit.

ftato igitur et vehementiffimo impetu mox omnia turbata, terroremque repentinum pectora cepiffe nil miror. Inter haec tamen non diffitendum, republicas illas maritimas, ifto tempore, rei navalis fcientia gentibus borealibus omnino praefitiffe, cum et mercaturam frequentiffimam mari exercerent, et piraticam etiam facerent. Perquam igitur provide *Olavus Knoopi*, Epifcopus Arofiensis, cum anno fuperiori, ad Havniam, praeclara illa gefa fuiffent, litteris ad Joannem Haquini, Archiepifcopum Upfalienfem, perfcipfis, fuafit, ut Sueci omni opera claffibus ftudent *n*). Nimis tamen rem auctam fufpicio, cum feptem modo navibus Stralfundenfium et fociorum vim iftam navalem omnem deffruftam relatum legimus, tametsi Huitfeldius ipfe eadem annalibus fuis intulerit.

Graviffimos ex tanto infortunio dolores *Philippam* fufcepiffe quilibet praefentiet, cum tantas fpes in hac expeditione pofuiffet, et jam omnia hofli patere viderentur. Suis quoque confiliis tribuit, tot homines periiffe. Sed auxit aerumnas, ifta, infcio Rege, fufcepta fuiffe, quem, eo tempore, in Suecia commoratum narravimus. Quibus rationibus ducta, iftius momenti negotium marito celarit mirae prudentiae femina dictu, difficile; five moras inde pertimuerit, fecretis noxias, five rei gefae gloriam fibi foli vindicare voluerit, five offenfae aliquae fuerint, quae fuaviffimam Conjugem Regi iratam reddiderint. Memoriae enim proditum, Ericum, jam eo tempore, amoribus

n) *Monum. hift. veter. eccl. Sueo-Goth. Er. Benz. p. 173.* "Ac mare praecipue, quod potiffima noffrorum regnorum pars cenfetur, adhibitis co-

natibus defenfemus. Cujus enim ditioni mare fubjicitur, ei veriffimiliter victoriae gloria relinquitur."

ribus *Ceciliae* o), quae ex comitatu Reginae muliebri erat, captum fuisse. Praeterea et summo fere imperio Selandiam gubernabat. Igitur a suae clientelae hominibus ista gesta, Cornerus atque Cranzius p) tradiderunt. Spiritu certe publico animatam Philippam haec tentasse profiteri convenit, quo olim, infcio pariter marito, monetae, ab ipso depravatae, meliorem eam substituisse, ab aliis assertum q) legimus.

At acerbas, hoc facto, iras pectore concepit *Ericus*: et, ex Suecia rediens, durissime Conjugem habuit r). Nec conviciis solummodo ab illo affectam, sed ne a verberibus quidem eum sibi temperasse volunt s). Immo vero, ad augendum crimen, gravidam Reginam nonnulli perhibuere, et abortum inde fecisse. Sed cum jam viginti pluribusque annis connubium infocundum cum marito egisset, haec incerta auctoritate tradi existimo.

Philippam autem ista Conjugis durities tantopere afflixit, moeroresque, ex tot hominum caede enatos, usque eo auxit, ut terrenis omnibus se subtrahere consilium caperet, religionique se unice devovere. Eo animo in Wadstenense monasterium, cujus tantas semper curas gesserat, se contulit, et in eo reliquas vitae dies transegit.

Dignum

o) *Mess. Scand. ill. To. XII, pag. 223.*

p) "potiores de curia Reginae Danorum Philippae naves." *Corn.* "Philippa Regina fertur clientelam quoque suam, 1400 viros, perarmasse." *Cranz.*

q) *Huitf. p. 726. Pont. pag. 584. Meurf. p. 572.*

r) *Huitf. Pont. Meurf. Mess.*

s) Ex codice *legum Jutiae* locum, *lib. II, cap. 82*, facete attulit *Holbergius*, quo viro haec in uxorem suam tribuuntur. Indignam tamen tanto Rege facinus idem censuit. *Dän. Reichsh. I Th. p. 557.*

Dignum animadversione, eodem fere tempore, quo ista apud Stralfundam, tam infelici exitu, gerebantur, etiam apud *Aureliam* Anglos spe sua cecidisse, et, urbe, ab illorum obsidione, *puellae Francicae* interventu, liberata, insignem rerum suarum permutationem subiisse t). Fata igitur fere aequalia germanos expertos dixeris.

Ineunte autumnno *Ericus* adhuc nova clade percussus fuit. Naves enim, quae ex Suecia censum annum adferebant, a classi Wismariensium et Rostochiensium, piraticam faciente, media via impugnatae. Sed, cum trecentos circiter viros simul ducerent, qui partes suas strenue tuerentur, difficilis admodum hostibus victoria atque cruenta reddita. Tandem tamen numero superioribus illa cessit. Naves vero Wismariam ductae: praedamque ingentem, ex illis reportatam, classarii, et qui societatem cum illis inierant, inter se distribuerunt u).

§. VIII.

Philippae in monasterio Wadstenensi commoratio, et obitus.

Philippa igitur summa, ex utroque infortunio, aegritudine affecta, rerumque humanarum pertaesa, in monasterium Wadstenense se contulit. Huic, Reginae procul dubio curis, anno MCCCCXXVII, insignis praerogativa accesserat, cum monasteriorum Birgittinensium in univcrsum caput, a *Martino V* Pontifice v), constitueretur, ut in illo

t) intravit quippe urbem obsessam puella, d. 29 Apr. 1430. Anglis, accepta clade, recedendum fuit, d. 8 Maji. *Hume*, p. 338, f.

u) *Corn. Chron.* p. 1293, f. *Cranz. hist. regn. aq.* p. 334.

v) Bulla Martini V, concessa Romae 10 Cal. Aug. 1427. *Dal. Sv. R. hist.* p. 630. *Diar. Wadst.* a. 1429, p. 72.

illo conventus generales a legatis totius ordinis fierent. Miramur tamen, in annalibus Wadstenensium, ne verbo quidem observatum legi, Reginam, quam matrem et certissimum praesidium monasterii sui, ac universi ordinis, venerati sunt *u*), ibi commorandi locum cepisse, cum tamen alia minoris momenti complectantur, et de morte deinde Reginae mentionem faciant, sed ea ratione, ut adhuc ambigi possit, utrum in ipso monasterio etiam defuncta, an in templo saltem sepulta fuerit.

At propterea rem a scriptoribus communiter assertam non in dubium vocabimus. Elucet tamen, de tempore, quo in monasterium concesserit, tanto minus certi quid statui posse. Mox vero ab offensione accepta, adeoque aestate anni MCCCCXXIX, idem factum probabile. Sacellum autem, quod juxta templum monasterii, suis sumtibus, exstruendum curavit *x*), cuique sustentando certos redditus assignavit, jam antea absolutum dixerim, ut post fata sua in illo sepulcrum haberet.

Diversa secum attulit cimelia, quae omnia monasterio Wadstenensi testamento legavit. Inter haec binas inprimis coronas aureas, gemmis ornatas, recensuit Messenius *y*). Sed ex annalibus Wadstenensibus *z*) potius conficerem, unam tantum, quam ipsa procul dubio gesserat, ab illa traditam; alteram vero ab Erico Rege, cum solemnibus Conjugis exequiis interesset. Corona *Philippae* mille et septuaginta tribus marcis Stockholmiensibus; *Erici* septingentis, binis modo dentis, aestimata fuit. Ex reliquis cimeliis Monile, quod canis

figu-

u) "Haec fuit mater et fidelissima protectrix." *Diar. Wadst.* p. 73.
x) *loc. cit.*

y) *Scand. illustr. To. III, p. 52.*
z) *Diar. Wadst. p. 106, f.*

figuram retulit, centum et triginta florenorum Rhenensium putarunt, et Balteum aureum *a*) mille et quadraginta marcarum Stockholmiensium. Philippææ quoque suppellectilis tabulam auream censeo, aliquas Sanctorum reliquias complectentem, quæ ducentorum ac septuaginta nobilium Anglicorum, sive mille ac trecentarum marcarum Suecicarum habita.

Vitam posuit *Philippa*, languoribus consumpta, initiis anni MCCCCXXX, nocte, quæ quintum sextumque Januarii *b*) intercedit, cum ipsamet, ex nostris calculis, annum modo tricesimum nonum ageret.

Hoc nuntio accepto, *Ericus*, insignem, quam in illa fecerat, iacturam in animum sibi revocans, et injurias, optimæ Conjugi illatas, graviter dolens, Wadstenam illico contendit, et, Proceribus regni eo convocatis, Reginae, splendido apparatu, die circiter XV Februarii *c*), iusta persolvit. Humata autem, ipso illo, quod sibi pararat, sacello, templo adstructo. Testamentum assensu suo firmavit. Immo et Conjugis coronæ propriam addidit, et utramque monasterio custodiendam commisit *d*), hac tamen conditione, ut, in sacello illo, binæ *Philippææ* Reginae imagines fierent, beatæ Virginis coronationem præ se ferentes. Novo etiam Regi solemniter inaugurando mutuo traderentur. Si vero aliquando contingeret, monasterium summa necessitate premi, tunc venia fodalibus concederetur, coronas illas vendendi, et quod pretii inde rediisset, in monasterii commoda collocandi.

Præ-

a) quem *Kapobonadhin* lingua patria dixerunt.

b) in nocte Epiphaniæ Domini. *Diar. Wadst.* p. 73.

c) sive b. Sigfridi. *Diar. Wadsten.*

p. 73.

d) *Diar. Wadst.* p. 106.

Præterea Collegium Canonorum undecimvirale, Wadstenae, in templo urbico, instituit e), qui, die nocteque, in facello divae Annae dicato, pro anima Philippae Reginae et Parentum Erici, sacra peragerent. A Decano regerentur, quem Abbatissa denominaret. Universi autem Episcopum Lincopiensem respicerent. In stola, rubeam crucem, in flavi coloris area f), gererent, et Regionum Capellanorum titulo insignirentur. Huic vero collegio sustentando mille atque centum nobilium Anglicorum numeravit, ut fundo emendo impenderentur, unde reditus necessarii provenirent. Rege quoque et proceribus regni praesentibus, Archiepiscopus Upsaliensis *Joannes Haquini* g) monasterium Wadstenense divae Mariae Virgini divaeque Birgittae, solemnii caerimonia, dedicavit h).

In Daniam rediens Ericus, etiam *Calmariae* simile Canonorum collegium, quod tredecim personis constaret, iisdem legibus, instruxit, mille marcis eidem sustentando statim solutis, et trecentis triginta quinque, ex certissimis urbis reditibus, assignatis. Precibus, diurno nocturnoque tempore, faciundis, et Philippae, et sui, et atavorum suorum, et Margaretae Reginae, et Regum Reginarumque omnium, qui in regno sibi succederent, cum viventium, tum defunctorum, recordari voluit i). Ex quo et haec omnia Wadstenensi collegio

e) ipso Sigfridi die. Rem copiosius, ex ipsis litteris Regiis, narravit *Huitfeldius*, *Krön.* p. 744 f.

a. 1423, mort. 1431. *Rhyzelii Swea Göthisk Sticht. och Bisk.* *Krön.* p. 44, f.

f) "it röt kaars, udi et gult feld." *Huitf.*

h) in crastino Sigfridi. *Diar. Wadst.* p. 73.

g) ex Sodalibus S. Birgittae fuit, Archiepiscopus Upsaliensis constitutus,

i) ipsas Erici litteras, documento Canonorum, quo se talibus obstrictos professi sunt, insertas, protulit *Huitfeldius*, *Krön.* p. 745, f.

legio demandata fuisse colligo, tamen, expositione priori, magis succincta, Huitfeldius aliqua praeterierit.

Amicitiae quoque vincula inter Ericum, et affines Anglicos, servata. Etenim, sub finem istius anni, adhuc legati accesserunt *k*), facultate muniti, cum Erico de omnibus, utrique parti profuturis, paciscendi, quique operam navarent, controversiis cum Norvegis, a pluribus inde annis, ob commercia illegitima, agitatis, componendis. Haec, cum *Philippa* adhuc imperii particeps esset, anno MCCCCXXIX 1), *Henrici VI* Regis nomine, denuo graviter interdicta. Sed difficile admodum, lucri cupiditatem, quaevis audentem, legibus compescere.

Caeterum doloribus, ex morte eximiae Conjugis perceptis, non diu inhaesisse videtur Ericus, dum *Ceciliae*, a qua, illa vivente, semet irretiri jam passus esset, se ita devovit *m*), ut ab illius nutu et voluntate totus fere penderet.

Quanti vero, cum in vivis esset, *Philippa* a civibus habita, jam versus comprobant Poëtae Danici, a *Messenio* allati *n*), et Latine procul dubio ab ipso redditi:

— “Cui

k) Magister *Willielmus Sprever*, legum Doctor, ac *Joannes Grymesby* armiger, mense Novembri. *Rym. foed. To. X, p. 277, s. et p. 481.*

1) d. 6 Maji. *Rym. foed. To. X, p. 416.*

m) *Rimchrönika, p. 182. Dal. Sv.*

R. H. p. 622. Messen. Scand. ill. To. XII, p. 223.

n) pro consuetudine tamen sua *Messenius*, quam in opere historico valde reprehendimus, unde illa desumerit, non indicavit.

— “Cui, si non Anglia clara dedisset
 Uxorem, quae consiliis sapientibus omnem
 In se regnorum curam transferret, et aequa
 Conditione viros tractare ac munere posset,
 Haud diuturna forent expulso scepra tyranno.
 Illa regit populos virtutibus, atque mariti
 Aspera facta domat, monitis subnixta beatis
 Consiliisque bonis.”

In his licet durius quaedam in Ericum dicta sint ^o): res tamen ipsa loquitur, Philippae maxime studiis, et qua apud omnes valuit gratia, gentes in officio permanfisse. Mox vero ab illius obitu, omnia in pejus labi, eaque rerum discrimina Erico sensim enasci, ut ipsemet imperio subtrahendum se duxerit. Facie externa teneram, atque statura corporis exigua, illam recentius eleganter descriptam legimus ^p); qua vero antiquiori auctoritate ignoramus.

Sorori neuter fratrum diu superstes fuit. *Joannes* enim, Dux Bedfordiae, jam anno MCCCCXXXV ^q), diem obiit, Lutetiae, ac sepultus Rothomagi. Eoque mortuo de rebus Anglorum in Francia uniuersum actum videbatur. *Humphredus* vero, Dux Gloucestriae, an-

no

^a) potissimum, si cum elogio *Kalent. ab Eickstet in epit. ann. Pom. p. 86*, conferantur, quo, inter alia, “novum Wandaliae decus” insignitus. Ex instituto vero partes Erici in se tuendas suscepit *Micraelius in alien. Pommerl. p. 395, f.*

^p) *Botins Utkast till Svenska Folkets Hist. p. 444.*

^q) d. 14 Sept. *Hume's hist. of Engl. Vol. II, p. 349, f.* *Sandf. gen. hist. p. 312, f.*

nō MCCCCXLVII r), infidiis Margaretae Andegaviensis, Reginae Angliae, quae illius auctoritati invidebat, periit.

Monumentum *Philippae*, quod in templo Wadstenensi conspicitur, vel lapidem potius, qui sepulchrum tegit, pictura aere incisa, illustrissimus Comes a Dahlberg, in Suecia sua r), exhibuit. Formam ille quadratam, in oblongum ductam, refert. Mediam totius areae regionem simulacrum divini Servatoris, cruci affixi, statuaria arte, scite sculptum, ab imo fere ad summum, occupat. A sinistra, angulo inferiori, insignia Reginae gentilitia, scuto quadrato cernuntur, versus imaginem Servatoris inclinato, et casside tecto, in quo Francica, prima et quarta, Anglica, secunda ac tertia arearum invicem junctarum, comparent. Marginem inscriptio insequitur, litteris, quae a monachis nomen ferunt, majoribus et minusculis: "Hic sepulta est, Serenissima Regina Philippa, Erici, Sueciae, Gothiae, Daniae et Norvegiae quondam Regis potentissimi, Pomeraniae Ducis, Consors, et Henrici Quarti, Angliae, Franciae et Hiberniae Regis, filia, quae vita est defuncta Anno Christi MCCCCXXX, V die Januarii." Sed inscriptionem minimum recentioris aevi Hiberniae Regis titulus arguit, quem, anno demum MDXLII t), ab Henrico VIII usu receptum novimus, cum antea Reges Angliae se Dominos modo Hiberniae dicebant. Post fata enim Erici positam, jam ea evincunt, eundem quondam Regem appellatum. Insignia vero antiquitatem prae se ferunt, cum lilia Francica nondum numero ternario, sed, ut Philippae aevo u),

inde-

r) d. 28 Febr. *Hume, pag. 355, seq.*

Sandf. p. 315, J.

s) *Suecia antiqua et hodierna, T. III, Tab. XI.*

t) *Kimber's hist. of Engl. p. 240.*

u) Haec sigilla comprobant *Eduardi III, Richardi II, Henrici IV, a Sandfordio prolata, gen. hist. p. 124, 190,*

indefinito, vel sparfa, cernantur. Ex monumento igitur antiquiori, tempore confumto, haec petita conjicerem.

Cimelia *Philippae*, monasterio Wadstenerfi testamento legata, *Carolo VIII* Suecorum Regi, ex illius desiderii, cum illud, anno MCCCCLIV, inviseret, consensu utriusque conventus, pretio, quo aestimabantur, soluto, tradita fuere *v*). Summa, quam ex hereditate ipsa tulerat *w*), et aliquo loco fortassis deposita, vel in fundo lucrando adhibita, *Christiano I* Regi, anno MCCCCLXXXVIII, sententia a iudice lata, cessit *x*), cum nullus jura sua in illam, annuo spatio, protulisset.

244. In Sigillo tamen *Henrici V* jam liliorum numerus ternarius receptus.

v) *Diar. Wadst.* p. 106. *Mess. Scand.* ill. *To. XV.* p. 79.

w) *Loefen*, lingua patria. cf. ill. *Ihrü Gloss. Sv. Gothl.* p. 98.

x) *Huitf. Krön.* p. 744.

~~Regina Philippa, Regina Sueciae, Daniae et Norvegiae~~

Corrigenda.

p. 2, l. 8, 9. eos-repetitos. p. 14, l. 15. abdicaret. p. 22, l. 12. professa.
p. 37, l. 19. quos. p. 43, l. 20. illas. p. 46, n. 5) indignum.
p. 47, n. 1) 1429.



Nr 342.
g

ULB Halle 3
007 369 654




W 18

h. C.







16

COMMENTATIO

DE

PHILIPPA

REGINA SVECIAE, DANIAE ATQVE

NORVEGIAE

ANGLIAE PRINCIPE

QVAM

IN ACADEMIA GEORGIA AVGVSTA

CONSENSV AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS

PRAESIDE

IOANNE PHILIPPO MURRAY

PHIL. PROF. ORDIN.

DISPVTTATIONI PVBLICAE

PRO SVMMIS IN PHILOSOPHIA HONORIBVS

HABENDAE

SVBIECIT

PAVLVS ERICVS BOBERG

VPSALIA - SVECVS

DIE XXX NOVEMBRIS ANNO MDCCCLXXIV.

GOETTINGAE

LITTERIS BARMEIERI.

Gp. 31.

